This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

P A
6606
S345
1875
MAIN

UC-NRLF
$B 254 410

YB00609

REESE LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF CALIFORNIA.
Class No. 768q
5351

QUAESTIONES

DE

PRONOMINUM DEMONSTRATIVORUM FORMIS PLAUTINIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS CONSENSU
ET AUCTORITATE

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES IMPETRANDOS

SCRIPSIT

FRITZ SCHMIDT

LUNEBURGENSIS.

REESE LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA

BERLIN.

TYPIS C. STAHLII ET ASSMANNI.

1875.

Verlag der Weidmannschen Buchhandlung.

PA6606
S345
1875
MAIN

HERMANNO SAUPPIO

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

D.

96859

CAPUT I.

Formae pluralis numeri pronominis hic.

Cum in fabulis Plautinis praeter formas „hi, hae, horum, harum, his, hos, has“ etiam persaepe formae „hisce, haec, horunc, harunc, hisce, hosce, hasce“ inveniantur; utrum differat usus diversarum formarum, an, ponaturne an omittatur ce vel c, nihil intersit, accurate quaeratur necesse est. Atque Ritschelius quidem, omnium ille et qui nunc vivunt et qui umquam vixerunt philologorum Plautini sermonis peritissimus, in prolegomenon ad Trinummum (1849) capite sexto p. LXIV hanc proposuerat sententiam: „Cum per se nihil profecto intersit, his aedibus an hisce aedibus legatur, v. 177, 293, 402 uno A duce primis duobus versibus illud, hoc recipiendum fuit tertio, contra Palatinos utrumque.“ Cuius iudicii priorem partem quamquam impugnavit Fleckeisenus, et Ritschelius ipse nunc iam non prorsus probare videtur, tamen duplicium formarum vim ac rationem demonstrativam esse plane eandem, neque per se quicquam discriminis inter „his“ et „hisce“, „has“ et „hasce“ intercedere, infra ostendam. Sed quod Ritschelius censet, si in his formis inter se non consentiant codices, semper eas formas, quae in Ambrosiano libro legantur, recipiendas, Palatinorum lectiones spernendas, multo maiorem quam par est Ambrosiano tribuit auctoritatem. In universum quidem multum abest, ut, ubicunque codicum lectiones variant, ea quae in Palatinis tradita sunt semper prae Ambrosiani codicis auctoritate neglegi iubeat; sed eis locis quibus per se nihil est, cur alteram alteri praeferamus

lectioni, codicem A sequendum esse arbitratur. Quam normam etiamsi rectam esse credo, tamen videndum est, num inter illos locos ei sint numerandi, quibus in altera codicum familia leguntur formae „hisce hasce haec“ (fem. pl.; de neutrius generis forma, quae etiam apud Plautum semper est „haec“, in hac commentatione numquam dico), in altera „his has hae“; num talibus locis nihil sit, quod alteras formas alteris magis commendet. Et est profecto. Patet enim, cum formae in ce vel c exeuntes post Plauti aetatem in usu esse magis magisque desinerent, quomodo pro formis „hisce, hosce, hasce, cet.“ formae sine ce in codices irrepere potuerint, quippe cum librarii — id quod saepissime in omnibus omnium scriptorum codicibus factum esse videmus — pro formis obsoletis formas suis temporibus usitatas substituerent; atque talibus mendis etiam A refertum esse innumerabilibus atque saepissime antiquas formas in BC etiam ibi servatas esse, ubi in A iam sunt oblitteratae, nemo qui Plautinos codices vel mediocriter inspexit, ignorat. Ergo ut Trin. 402 „hisce aedibus“ (quamquam ibi etiam in B est: isce bibus) itemque „hasce“ Trin. 848, Stich. 418, 435 cum A contra ceteros libros „haud“ dubie scribendum est, sic etiam „hisce“ Trin. 177, 293, „hasce“ Most. 843, 988 cum BCD contra A est legendum. Atque ipse Ritschelius nunc duobus locis Trin. 177, Most. 843 hisce et hasce rectas formas esse intellexit, tertio loco Most. 988 hasce vel has delet, uno loco Trin. 293 etiam nunc pertinaciter codicis A auctoritate innisus „his“ retinet. Ad mutandam autem sententiam suam motus est eis quae Fleckeisenus in censura Plauti Ritscheliani Neue Jahrb. f. Phil. 60. 244 sq. contra eum disputavit: Hier ist zunächst das Versehen zu berichtigen, dass v. 293 die Lesart nicht zwischen his und hisce aedibus, sondern zwischen his und hisce artibus schwankt, was in diesem Falle gar nicht auf eins hinaus läuft, da aedes einen sichtbaren Gegenstand, auf den der redende hinweisen kann, artes aber einen abstracten Begriff bezeichnet. Quid his verbis Fleckeisenus dicere velit, difficile est perspectu, cum pergat: Sodann bedarf es noch einer Untersuchung, ob nicht in dem Plautinischen Sprachgebrauch wirklich ein Unterschied stattfinde zwi-

schen den Formen mit dem paragogischen ce und ohne dasselbe. Ich weiss nun freilich nicht, ob Ritschl diese Untersuchung nicht schon wirklich vorgenommen hat und dabei gefunden, dass in der That kein Unterschied stattfinde. Itaque cum his verbis libere profiteatur se nescire sitne discrimen, antea discrimen statuit; videtur igitur eam diversitatem de qua loquitur inter formas quae finiuntur litteris ce et alteras formas intercedere, non pro certo affirmare; sed coniectura potius augurari, fortasse formas quae in ce vel c exitum habent, monstrare semper res vel homines praesentes, numquam absentes aut notiones abstractas; atque idem nunc Ritschelius sentire videtur utpote qui ad Trin.[2] 948: sed monstra hosce homines mihi Quos ego quaero quibus me oportet has deferre epistulas — adnotet: „exspectes hos", nimirum quia homines non coram adsunt, sed quaeruntur; et Trin. 293: „his ego de artibus gratiam facio" contra Palatinos „his" scripserit. Sed in hac re errant homines Plautini sermonis gnarissimi; nam Trin. 948 non requiri „hos" demonstrat locus eiusdem fabulae tam similis, ut „neque aqua aquae neque lacte lactis similius esse" possit, quam hi duo loci sunt:

Trin. 871 sqq.: Quid adulescens quaeris? quid vis? quid istas pultas? — Heus senex
Lesbonicum hinc adulescentem quaero in his regionibus
Ubi habitet, et item alterum ad istanc capitis albitudinem,
Calliclem aiebat vocari qui has mihi dedit epistulas.
Fac me certiorem *hosce homines* si scis ubi habitent pater.

Etiam aliis locis haud paucis demonstrantur formis cum ce vel c homines absentes, velut Capt. 3. 2. 1=498 sqq.:

Quid est suavius quam bene rem gerere
Bono publico, sicut ego feci heri, quom
Emi *hosce homines*.

Aul. 3. 5. 33 sqq.: Sed hoc etiam pulcrumst praequam sumptus ubi petunt.
Stat fullo phrygio aurifex linarius
Caupones patagiarii indusiarii,
Solearii astant, astant molocinarii,

Petunt fullones, sarcinatores petunt,
Iam *hosce* absolutos censeas: cedunt petunt
Trecenti, circumstant phylacistae in atriis.

Mil. 486: Non hercle *hisce homines* me marem sed feminam
Vicini rentur esse servi militis.

Poen 5. 3. 50: Opino hercle hodie quod ego dixi per iocum
Id eventurum esse et severum et serium,
Ut *haec* inveniantur hodie esse huius filiae (filiae autem non adsunt, sed adventus earum exspectatur);

vel ostenduntur res quae sermone tantum commemorantur, velut Pseud. 810: Non ego item cenam condio ut alii coqui
Qui mihi condita prata in patinis proferunt,
Boves qui convivas faciunt herbasque oggerunt
Easque herbas herbis aliis porro condiunt
Apponunt rumicem brassicam betam blitum
Indunt coriandrum feniculum alium atrum holus.
Hoc hic quidem homines tam brevem vitam colunt,
Quom *hasce herbas* huiusmodi in suom alvom congerunt,
Formidulosas dictu non essu modo.

Quin etiam de rebus quae omnino sensibus percipi non possunt, de abstractis dicuntur formae cum ce vel c, velut

Asin. 3. 3. 148=737: Meritissumo eius quae volet faciemus qui
hosce amores
Nostros dispulsos compulit.

Merc. 396: Nihil opust nobis ancilla nisi quae texat quae molat
Lignum caedat pensum faciat aedis verrat vapulet
Praebeat cottidianum familiae coctum cibum.
Horunc illa nihilum quicquam facere poterit admodum.

itemque horunc (neutr. pl.) usurpatum est Cist. 1. 1. 53. — Persa 161. Porro Plautus dicit Trin. 185:
Em mea malefacta, em meam avaritiam tibi.
Hascine propter *res* mihi malas famas ferunt?

et Stich 18 et 19, si quidem codici A fidem habemus:
Haec res vitae me soror saturant,
Haec mihi dividiae et senio sunt.

Sed desino exempla affere, quoniam loci allati, quos etiamsi non interdum formae longiores propter versum ab omni suspicione tutae essent, nemo in dubium vocare auderet, satis superque sufficiunt ad demonstrandum formas in ce, e exeuntes non modo monstrare homines praesentes et res quas is qui loquitur oculis videt et digito vel gestu demonstrat, verum etiam usurpari de hominibus et rebus absentibus atque adeo de rebus quae omnino sensibus percipi non possunt, de abstractis notionibus.

Iam si hoc discrimen defendi non potest, videndum est, sitne id verum quod in adnotatione p. 245 Fleckeisenus exponit, apud certa vocabula Plautum semper uti formis quae exitum habent in ce, c, apud alia semper alteris; quam adnotationem, quia omnia quae ea continentur accurate mihi erunt examinanda, liceat hic maximam partem repetere: In dem ersten der oben angeführten Verse Trin. 177 bin ich im Widerspruch mit R. nicht dem A sondern BCD gefolgt und habe hisce aedibus aufgenommen und zwar deshalb, weil an der bei weitem überwiegenden Mehrzahl der Stellen, wo aedes mit dem Demonstrativpronomen verbunden ist, dieses in der durch ce verstärkten Form daneben erscheint; diese Majorität ist so bedeutend überwiegend, dass ich gar kein Bedenken getragen habe, die wenigen mit jener Norm nicht übereinstimmenden Stellen wie Trin. 124, 1127 — Mil. 310, 332 zu emendieren. Dagegen erinnere ich mich nicht, jemals haec epistulae, tabulae, tabellae, litterae von einem oder mehreren Briefen, die der redende in der Hand hält, gefunden zu haben, sondern immer hae, wie Trin. 848—894—949 — Bacch. 728—801—808—809—923—935—984—986—988, Grundes genug denke ich, um Hermann u. R. nicht beizustimmen, die Bacch. 787 die unstatthafte handschriftliche Lesart hasce tabellas in hasce tabulas geändert haben, sondern vielmehr has tabellas zu corrigieren.

Hic vera mixta sunt falsis, quamquam enim plerosque locos recte mutavit, nihilominus causa mutationis vana est atque irrita. Etenim quamquam recte observavit, saepissime apud Plautum „haec aedes, harunc aedium, hisce aedibus, hasce aedis“ inveniri — sunt plus triginta loci — tamen errat, quod usum alterarum for-

marum apud „aedes“ a poetae dicendi consuetudine alienum putat. In errorem autem eo perductus esse videtur, quod illa scribenti non omnes loci praesto erant, multo enim plures, quam quos enumerat, corrigendi sunt; nam praeter Trin. 124—1127 — Mil. 310 — 332 formarum sine ce haec in libris exstant exempla: Amph. 264 = 1. 1. 108 — Curc. 1. 1. 39 — Most. 455—480—504—761—806—811, (Trin. arg. 4), e quibus quamquam Curc. 1. 1. 39: Lenonis hae sunt aedes — Most. 504: Scelestae hae sunt aedes — Trin. 1127 et Mil. 332: his aedibus — Most. 455 et Trin. 124: has aedis — Most. 811: te has emisse (sc. aedis) facile amoveri possunt addenda una littera c vel duabus ce, tamen remanent loci prorsus certi quibus nisi violentissima vi utimur pro forma tradita „has“ „hasce“ scribere non possumus:

(Trin. arg. 4: Nam et aedis vendit: has mercatur Callicles.)

Mil. 310: Credo hercle has sustollat aedis totas tollatque hic
crucem

sic Spengelius T. Macc. Plautus p. 29 et codices, nisi quod in eis pro „tollatque“ scriptum est „tollat atque“ et pro „totas“ in Ba C tota si, in D totas si; ac ne eorum quidem hominum doctorum, qui aliter verba restituenda esse censuerunt quisquam prius dimidium versus sollicitavit, praeter Fleckeisenum qui sic scribit:

Credo hercle hasce aedis sustollat totas atque me in crucem.[1])

Multo etiam minus verisimilitudinis habent liberrimae mutationes quas Fl. Amph. 264 fecit; ubi maluit vi adhibita formam „hasce“ inducere, quam formam traditam „has“ agnoscere. Versus autem in libris hic est:

Neque ego hunc hominem hodie ad aedis has sinam umquam
accedere,

qui quomodo sanandus sit, non difficile est perspectu, nihil enim opus est nisi pro „hodie“ reponere formam a Bergkio detectam „hocedie“, quae ubique in „hodie“ est depravata. Fl. vero postquam pro „has“ scripsit „hasce“, duabus praeterea opus fuit muta-

[1]) Bergkius artificiosam coniecturam protulit hanc: Credō hercle has sus aedis tollat totas atque hunc in crucem.

tionibus gravissimis; transposuit enim „has[ce]“ ante „hodie“ et addidit „hinc“ post „aedis“:

Neque ego hunc hominem has[ce] hodie ad aedis [hinc] sinam umquam accedere.

Neque alii loci desunt quibus nisi vim afferimus formam traditam „has“ removere non possumus:

Most. 480: Iste ut ego opinor qui *has* tibi aedis vendidit

760: Nam sibi laudavisse hasce ait architectonem
Nescio quem esse aedificatas *has* sane bene.

806: Inspicere hic aedis te *has* velle aiebat mihi.

Hi loci quibus non solum „has“ in codicibus omnibus legitur, verum etiam „has“ unice rectam formam esse versus confirmat, dilucidissime ostendunt utrasque formas apud „aedes“ positas esse a Plauto. Atque idem iudicium de pronominis hic formis cum vocibus quae sunt epistulae, (tabulas omnino nunquam idem esse ac tabellas, litteras, epistulam infra demonstrabo) tabellae, litterae coniunctis. Sane longe plurimis locis apud haec vocabula formas „hae has his“ invenimus, praeter locos a Fl. allatos etiam Trin. 874. — Pseud. 20—23—25—30—99 — Persa 247—497 bis — 544 — Curc. 412 = 3. 42—551 = 4. 3. 19; tamen memoria Fl. fefellit negantem alterarum formarum ullum esse exemplum; nam Persa 529 legitur:

Iam mihi credis? — Ubi nunc illest hospes qui *hasce* huc attulit (sc. tabellas);

ad quem accedit alter locus quem Fl. inter exempla formae „has“ enumeravit, quia tum in A „hasce“ esse nondum erat exploratum Trin. 848:

Quia ego nunc subigor trium nummum causa ut *hasce* epistulas
Dicam ab eo homine me accepisse quem ego qui sit nescio.

hasce A, has ceteri.

Quae cum ita sint, neque apud „aedes“ solas formas cum ce, c neque apud voces quae sunt tabellae, epistulae solas formas sine ce a Plauto scriptas esse patet. Atque etiam aliud accedit; nulla enim reperiri potest causa, cur vox quae est aedes requirat formas cum ce, easdem formas voces quae sunt tabellae, epistulae

non ferant; saltem Fleckeisenus inter aedes et tabellas videtur non potuisse detegere differentiam idoneam ad hanc diversitatem explicandam; certe nullam attulit. Atque etiamsi contingat sagaci homini argutando indagare inter indolem vocis quae est tabellae et naturam vocis quae est aedes discrimen, unde derivari posse videatur, cur altera vox formas cum ce c, altera formas quae illo ce, c carent non admittat; certe vel argutissimus desperabit se inter notiones vocum quae sunt homo et senex investigare posse differentiam, unde possit desumi explicatio, cur Plautus semper dixerit: hisce homines, horunc hominum, hisce hominibus, hosce homines, sed semper: hi senes, attamen res ita sese habet; scripsit enim poeta: hisce homines Mil. 486 — idem latet Men. 958 ubi in codicibus est: hic homines, scripsit: hisce hominibus Pseud. 1185, hosce homines Trin. 877—948. Capt. 3. 2. 2=500, idem restituendum est Capt. 2. 3. 95=455 ubi in codicibus „ce" omissum est, ut Poen. 5. 2. 8: „horunc hominum" pro „horum hominum" emendandum esse versus docet. Verum „hi senes" legitur: Bacch. 1207. Ps. 1190. Iam quis tandem affirmare velit ad homines Plautum formas sine ce referre non potuisse, ad senes non potuisse „hisce", praesertim cum, si de hominibus, sive adulescentibus sive senibus, sermo est, neque vero additum est substantivum, modo formis: „hi, his, hos," modo „hisce, hosce" usus sit. Atque tota haec argumentandi ratio, ut locis, quibus apud singula substantiva positae sunt hae formae, collectis si apud substantivum aliquod aut formae longiores aut formae breviores solae vel plerumque conspiciuntur, statim concludatur consulto Plautum alteras formas fugisse apud hoc substantivum, quam sit fallax, alio ostendam exemplo luculentissimo. Invenitur enim apud Plautum Most. 238: his decem diebus, Capt. 1. 2. 65= 168: in his diebus, Ps. 9: hos multos dies, Ps. 321: hos sex dies festos, Men. 104: hos dies multos, Rud. 1. 2. 43 = 131: hos dies complusculos, Rud. 1. 2. 49 = 137: hos dies multos, Truc. 4. 4. 19: hos dies aliquos; nunquam vero „hisce diebus, hosce dies"; tamen quam perversum sit inde deducere Plautum formas quae in ce exitum habent cum hoc substantivo coniungere non potuisse,

manifesto apparet ex Terentio qui Eun. 4. 7. 23 scripsit: hos dies, Phorm. 5. 5. 4: aliquot hos sumam dies, sed idem dixit Heaut. 4. 5. 4: hosce aliquot dies itemque Eun. 1. 2. 71: hosce aliquot dies. Ergo quid esse potest evidentius, quam in indole vocis quae est dies plane nihil inesse, quod formas quae in ce exeunt respuat? Atque omnino unamquamque vocem per se utrasque formas admittere iam haec locorum prorsus certorum[1]) collectio adeo planum faciet, ut nemini ulla remanere possit dubitatio:

Curc. 5. 3. 47=725: Itane vero? — Ita hercle vero. — Novi ego *hos pugnos* meos. —
Quid tum? — Quid tum rogitas? *Hisce* ego si tu me inritaveris
Placidum te hodie reddam;

deinde Mil. 374: Non possunt mihi minaciis tuis *hisce oculi* ecfodiri.

Mil. 290: Profecto vidi. — Tutin? — Egomet duobus *hisce oculis* meis.

sed Mil. 368: Tun vidisti? — Atque *his* quidem *oculis*.

porro Pseud. 720: Horum causa haec agitur *spectatorum* fabula,
Hi sciunt qui hic adfuerunt, vobis post narravero.

Poen. 3. 1. 47: Omnia istaec scimus iam nos si *hi spectatores* sciant,
Horunc hic nunc causa haec agitur *spectatorum* fabula,
Hos te satius est docere.

tum Bacch. 632: Eum ego meis dictis malis *his foribus* atque hac [muliere]
Reppuli.

Curc. 1. 1. 80: ubi vino *has* conspersi *foris*.

Ps. 1134: Me nunc commoror quom *foris has* non ferio.

Stich. 326: Quisnam obsecro *has* frangit *foris*?

---

[1]) Certos non solum eos locos dico, quibus utram formam poeta posuerit versus certissime declarat, sed etiam eos, quibus formae „hisce hosce hasce" traditae sunt in codicibus ante vocalem, ubi quamquam versus alteras formas supponi non vetat errorem tamen nullum subesse ratio docet.

Trin. 870: Aperite hoc, aperite heus, ecquis *his foribus* tutelam gerit?

verum Capt. 4. 2. 51=831: aperite *hasce* ambas *foris*.

Merc. 129: At etiam asto, at etiam cesso *foribus* facere *hisce* assulas?

Most. 453: Pultando paene confregi *hasce* ambas foris.

item Most. 648: Sed arraboni *has* dedit quadraginta *minas*.

Poen 3. 5. 25: id nunc his cerebrum uritur
Me esse *hos* trecentos *Philippos* facturum lucri.

Truc. 2. 7. 26: *has* quinque argenti *minas*.

Asin 3. 3. 145=734: Hic inerunt viginti *minae* bonae mala opera partae:
Has tibi nos pactis legibus dare iussit.

sed Poen 3. 4. 3: Age accipe hoc sis: Hic sunt numerati aurei
Trecenti *nummi* qui vocantur *Philippei*.
Hinc me procura, propere *hosce* absumi volo.

cum quibus apte comparari possunt loci Terentiani: Heaut. 4. 7. 7:
Minas quidem iam decem habet a me filia,
Hasce ornamentis consequentur alterae.

et Phorm. 4. 3. 59: Nimiumst. — Ne clama: [re]petito *hasce* (sc. *minas*) a me decem.

porro Trin. 983: Properas an non properas ire actutum ab *his regionibus*.

Men. 837: Audio sed non abire possum ab *his regionibus*.

Rud. 1. 3. 29=211: aliquem velim qui mihi ex *his locis*
Aut viam aut semitam monstret.

Rud. 3. 2. 2=616: Agricolae adcolae propinqui qui estis *his regionibus*.

4. 3. 94=1033: Ecquem in *his locis* novisti?

Trin. 872: Lesbonicum hinc adulescentem quaero in *his regionibus*

Trin. 866: *Has regiones* demonstravit mihi ille conductor meus.

Ps. 595: *Hi loci* atque hae sunt regiones quae ab ero mihi sunt demonstratae.

Epid. 4. 1. 7: in *his* dictust *locis* habitare Periphanes.

sed Poen. 5. 1. 26: Is in *hisce* habitare monstratust *regionibus*.
vel Mil. 930: *has* nunciam duc intro,
sed Stich. 418 et 435: abduce *hasce* intro.

Possum etiam praeter haec permulta afferere exempla, sed tandem finis faciendus est.

Iam si omnia quae hucusque disseruimus comprehendimus, quaenam est summa totius disputationis? Vidimus formas in ce, c exeuntes non modo monstrare res vel homines praesentes, verum etiam absentes atque adeo abstractas notiones; ergo hac in re nullam ab alteris formis diversitatem conspici, vidimus neque apud aedes formas quibus additum est „ce" solas locum habere, neque apud voces quae sunt tabellae, litterae, epistolae solas quae carent illo ce, c formas; immo apud omnia substantiva utrasque formas poni posse, neque in ullius vocis indole ac natura quicquam inesse, quod alteras solas ferat formas, alteras non ferat, larga exemplorum copia, ubi apud eadem vocabula, locis inter se quam simillimis, modo hae modo illae formae inveniuntur, evidentissime est demonstratum. Ac ne id quidem quisquam qui locos allatos contemplatur affirmare poterit, formas longiores aliquid maiore vi monstrare, ut „hisce" sit fere „hi ipsi, eben diese, gerade diese," cum permultis locis, quibus vis qua pronomen effertur prorsus eadem est, tamen varient formae, et saepe formas cum ce omni pondere carere, formas sine ce haud raro magna vi premi videamus. Itaque cum utraeque formae demonstrent homines resque et praesentes et absentes, cum apud eadem vocabula, cum locis inter se simillimis, saepius in eodem enuntiato, quibus ne minima quidem diversitas in monstrandi vi vel ratione potest conspici, modo has modo illas formas legamus; sequitur internam inter formas in ce, c exeuntes et formas sine ce, c non esse differentiam, verum utrarumque formarum demonstrativam rationem ac vim esse plane eandem.

Sed quamquam monstrandi rationem utrarumque eandem esse perspeximus, tamen demonstratum non est promiscue eas usurpari, nam in externis rebus causa posita esse potest, cur modo hanc modo illam formam praetulerit poeta. Atque mea

quidem sententia in usu harum formarum Plautum certam legem secutum esse et diversis formis diverso modo esse usum, iam Hermae vol. VIII. p. 478 et p. 486 sq. professus sum. Namque qui locos quibus „hisce (nom. dat. abl.), hosce, hasce“ leguntur componit, non potest non animadvertere, semper fere vocem quae sequitur incipere a vocali vel h, et paucissimos eos locos, quibus a consonanti incipit, admodum suspectos esse, atque hoc quidem iam ante me Muellerus vidit Nachträge zur Plautinischen Prosodie p. 130; sed etiam diligentius et intentius in harum formarum usum inquirenti hanc normam Plautum secutum apparebit: *Si formas pluralis numeri pronominis hic sequitur vox cuius prima littera est vocalis vel h, semper posuit Plautus formas quae in ce exeunt: hisce (nom.), hisce (dat. abl.), hosce, hasce; sin prima littera vocis quae sequitur est consonans, semper scripsit: hi, his, hos, has.*

Favebit meae sententiae et probabilitas quaedam praesumetur, si ex hac lege explicari poterit, qui factum sit, ut apud eadem vocabula, locis inter se simillimis, aliis has aliis illas formas posuerit poëta, et ut apud alias voces multo saepius has, apud alias illas fere semper usurparit. Etenim etsi assentiri non potuimus Fleckeiseno vocem quae est aedes semper requirere formas quae litteris ce terminantur putanti, voces autem quae sunt epistulae, tabellae semper breviores formas postulare; tamen quod ille rectissime observavit, apud vocem quae est aedes plerumque „hisce hasce,“ apud vocem quae est tabellae fere semper „his, has“ scripsisse Plautum, manet inconcussum et explicatione eget. Atque causam quidem aliquo modo in ipsis vocibus positam esse consentaneum est, neque vero ex tota earum natura atque indole, sed ex minutula illa re, quod „tabellae“ initium capit a consonanti littera, „aedes“ a vocali, explicatio est repetenda. Haec enim sola est causa, cur si substantiva tabellae et aedes nullo vocabulo interposito a pronominibus seiunguntur, semper dixit Plautus: his tabellis, has tabellas, sed: hisce aedibus, hasce aedis; atque cum ibi quoque ubi „tabellas tabellis“ non statim sequuntur pronomen, plerumque vox quae post pronomen est posita a consonanti

incipiat, et illic ubi „aedibus aedis“ seiuncta sunt a pronominibus vocis pronomen excipientis prima littera esse soleat vocalis, patet, cur apud „aedis aedibus“ formae „hisce hasce,“ apud „tabellis tabellas“ formae „his has“ alteras numero longe superent. Nam perlustremus modo locos: „His tabellis“ nullo vocabulo interposito invenitur: Curc. 4. 3. 19=551; „has tabellas“ Bacch. 935. Curc. 3. 42=412. Persa 195—544. Ps. 20, sequitur „has“ vox „pellego“: Bacch. 986—988. Persa 497, vel aliud vocabulum quod a consonanti initium habet: Bacch. 984: has dedit, Ps. 25 et 30: has quidem, Persa 247: has fero, Bacch. 728: cape has tibi; verum uno exemplo ubi sequitur vocalis vel h Persa 529: „hasce huc attulit“ forma „hasce“ conspicitur; at Bacch. 787 habemus: Nunc hasce tabellas ferre me iussit tibi; sed confirmat magis quam infringit regulam hic locus, cum „hasce tabellas“ falsum esse iam metricae leges evincant. Ac prorsus eadem ratio est formarum „has“ et „hasce“ ad epistulas relatarum; legitur Trin. 848: hasce epistulas, sed Trin. 874: has mihi dedit epistulas, 894: dedit has duas mi epistulas, 949: has deferre epistulas. Neque aliter res sese habet eis locis quibus apud: „aedibus, aedis“ dativi vel accusativi pronominis hic positi sunt; ubicunque enim in codicibus sunt formae „hisce hasce“, sequitur vocalis (sic brevitatis causa interdum dico, cum accuratius dicendum sit: vox a vocali vel h littera incipiens): hisce aedibus: Trin. 150, 177, 402. Most 502, 951. Merc. 799. Cist. 2. 3. 4 — hasce aedis: Amph. 1. 1. 194=350. Asin. 2. 3. 1=381. Cist. apud Studemundium emend. Plautin. p. 13 et p. 14. Men. 1053. Most 403, 470, 547, 753, 843, 1082, 1085. Poen 1. 3. 3; hisce in aedibus: Most 950. Vidul. II. 3 — in hisce habitat aedibus: Trin. 12 — hasce emi: Trin. 181 — venalis hasce inscribit litteris: Trin. 168 — hasce esse aedis dicas dotalis tuas: Mil. 1166 — hasce ego aedis occludam: Most. 405 — laudavisse hasce ait architectonem: Most. 760 — hasce. Ecquid: Most. 906 — de duobus locis quibus nunc in libris formas „hasce hisce“ sequitur consonans Most. 796 et Truc. 2. 8. 8, quos corruptos esse iam versus indicat, vide infr[illegible]; verum certorum quae supra attuli formae „has“ exemplorum pro[illegible]rium est, quod sequitur con-

sonans: Mil. 310: has sustollat aedis — Most. 480: has tibi aedis vendidit — Most. 761: esse aedificatas has sane bene. — Most. 806: Inspicere hic aedis te has velle aiebat mihi — Amph. 264: ad aedis has sinam accedere. At dixerit quispiam tamen etiam ante vocalis „has" et „his" inveniri, legi enim in codicibus: his aedibus: Bacch. 581. Mil. 331. Trin. 1127 — has aedis: Trin. 124. Most 455 — has emisse: Most. 810. Huic ego sic respondeo: Si essent loci, quibus „hisce hasce" praecederent consonantem, quibus rectas esse has formas versu confirmaretur, ei sane meam sententiam vehementer labefactarent; sed quod tales loci plane desunt, nemo non videt quantopere faveat meae sententiae. Illorum autem sex locorum quam levis sit auctoritas, facile cognoscitur, cum Bacch. 581: Foris pultare nescis. ecquis his in aedibust? „his" nihil esse nisi dittographiam litterarum proximarum „is" primo perspicue pateat obtutu, neque ceteri quicquam possint demonstrare loci. Nam, praeterquam quod nonnulli fortasse aliter corrupti sunt, facillima mutatione, addendis duabus litteris ce, ad regulam quam statui accommodari possunt; atque de facilitate harum mutationum ne quis ullo modo possit dubitare, hic statim argumenta afferam, quibus in pluralis numeri formis pronominis hic „ce, c" saepe excidisse non solum verisimile fit, sed prorsus certum. Nam librarios illud ce, c saepius omisisse cum per se admodum probabile sit, quoniam eorum erat mos pro formis quae in usu esse desierant substituere formas suis temporibus usitatas; tum omnem dubitationem, quin hoc factum sit, nobis adimunt primum ei loci quibus illud ce, c quod in aliis codicibus servatum est, in aliis intercidit (saepius ex Ambrosiano demum ce, c quod in ceteris omnibus deest additum est); deinde id quod etiam multo est gravius — ei loci quibus „hi, hae, horum, harum" in omnibus vel plerisque codicibus traduntur, cum versus victrix necessitas „hisce, haec, horunc, harunc" postulet. Quae cum ita sint, permirum esset, si omnibus locis quibus Plautus apud aedes „hasce hisce" posuit hae formae servatae essent per saeculorum seriem; immo secundum probabilitatis leges exspectandum est, ut etiam praeter eos locos quibus etiamnunc „hisce hasce" in codicibus aut

omnibus aut nonnullis remanserunt aliquot locis Plautus has formas scripserit. Iam etiam patet, cur poëta „hisce homines“ semper dixerit, sed: „hi senes“; simul autem inter locos quibus pronomen hic cum „homines“ coniunctum est luculentissima exempla sunt omissi illius ce, c; nam cum Mil. 486 Men. 958 „hisce homines“ in manuscriptis aut sit aut in corruptelis haud dubie lateat; cum „hisce hominibus“ Ps. 1185, „hosce homines“ Trin. 877, 948 — Capt. 3. 2. 2 legatur, reliquis duobus locis Poen. 5. 2. 28 „horum hominum“, Capt. 2. 3. 95 „hos homines“ in libris omnibus legitur. Iam vero cum priore loco versus „horunc hominum“ necessario flagitet, quis tandem dubitare velit, quin etiam altero loco „hosce homines“ a Plauto scriptum sit? Atque sic etiam intellegitur, cur ceteris illis quos supra attuli locis, quamvis sint similes, tamen aliis has, aliis illas formas usurpaverit poeta, cur dixerit: Novi ego *hos* pugnos meos, sed: *hisce* ego te placidum hodie reddam, cur: *hisce* oculis meis, sed: *his* quidem oculis, cur: *his* foribus, sed: foribus facere *hisce* assulas, *has* frangit foris, sed: confregi *hasce* ambas foris, cur: *hos* trecentos Philippos, sed: propere *hosce* absumi volo (sc. Philippos); cur: *has* regiones mihi ille demonstravit, in *his* dictu[4]t locis habitare Periphanes, sed: in *hisce* habitare monstratust regionibus, cur: *has* nunciam duc intro, sed: abduce *hasce* intro, cur alia multa quae hic enumerare longum est.

Verum haec omnia quamvis meam sententiam commendent et comprobent, tamen legem quam posui Plautum severe observasse ita demonstrari, ut refelli nequeat, non potest, nisi omnibus locis quibus pluralis numeri formae pronominis „hic“ inveniuntur perlustrandis et percensendis. Sed cum, ut de unoquoque loco certum iudicium possit ferri, accuratissima codicum lectionum opus sit notitia, valde dolendum est, quod in dimidia parte fabularum sufficiens apparatus criticus nobis etiamnunc deest (neque enim Gepperti editiones ullo modo sufficiunt); quod quamvis aegre feram, tamen non despero me id quod proposui demonstrare posse; nam cum in decem fabulis in quibus accuratissimam optimorum codicum habemus collationem — in novem fabulis a Ritschelio editis et in Truculento in quo Studemundii collationes

Spengelius nobiscum communicavit — omnes fere loci cum lege quam statui consentiant, atque perpauci qui obstant aut aperta corruptelae indicia prae se ferant aut lenissima mutatione huic legi possint accommodari, etiam in ceteris fabulis, quamquam in eis paullo plures obstant loci, quin eadem lex valeat, dubitari nequit; quia in eis quoque longe plurimi loci atque quod gravissimum est omnes ei loci quibus metrum, utra forma Plautus usus sit, certo indicat, cum hac lege congruunt.

Iam ad singulos locos afferendos me convertens eum ordinem sequar, ut primum eos componam locos, quibus nom. masc., dat., abl., acc. masc. et fem. praecedunt vocem a consonanti littera incipientem, deinde eos, quibus nom. masc. praecedit vocem cuius prima littera est vocalis vel h, quia his omnibus locis non modo codicum auctoritate innitimur, sed etiam versum habemus arbitrum; postremo eos, quibus dat., abl., acc. masc. et fem. praecedunt vocem quae initium capit a vocali vel h.

1. Nominativi masc. ante consonantes positi invenitur forma *hi:*

Asin. 5. 2. 64=914. Atque interea ut decumbamus suadebo, hi
dum litigant.

Bacch. 548. Atque hi se quom frustrant, frustrari alios stolidi
existimant.

ii B, hi Cb DF, hic Ca, sed recte hoc loco ut Curc. 3. 1. 24=394, Trin. 17 *i* vel *ei* restitutum est. — Bacch. 1206 — 1207 (Capt. prol. 1—48).

Cas. 2. 8. 24: Hodie hercle opinor hi conturbabunt pedes,

ubi quia in B est iis, in Pall. is, in P: is conturbabit, nonnulli „his" Plautum scripsisse censent. — Cist. 4. 2. 33. —

Curc. 4. 2. 21=508. Hi saltem in occultis locis prostant, vos in
foro ipso,
22. Vos faenore, hi male suadendo et lustris lacerant ho-
mines.

v. 21 in B est „his", quod Fleck. recepit et alii probarunt; v. 22 Fleck. scribit:

Vos faenore hi[sce] male suadendo et lustris lacerant homines

ad hiatum amovendum quem nunc fortasse forma „suadendod" evi-

tare malet; equidem nulla coniectura opus esse puto, quia hiatum in diaeresi fero. — Men. 847—1082 — Merc. 869 *hi.* cum unius litterae rasura B, quare Ritschelius coniecit „his“ —
Most. 858: Servi qui quom culpa carent tamen malum
Metuont, hi solent esse utibiles eris
et 863: Hi si reprehensi sunt
si quid video non hi, sed *i* vel *ei* scribendum est; ad quod etiam optimorum codicum scripturae nos ducunt, est enim utroque loco in BCD: hii, id est ii, non hi[1]) — Persa 820 — Poen. 3. 1. 47 — 3. 2. 10 — 3. 5. 24 — 5. 4. 88 — Ps. 137—595—721—1190 — Trin. 292.

Hisce numquam ante consonantem invenitur.

2. Dativi ante cons. positi invenitur forma *his*: Aul. 2. 1. (33 et) 35 — Bacch. 632 — Capt. 1. 2. 65=168 — 2. 2. 1=251 — (3. 1. 34=493 recte Fl. et Brixius *is* pro *his* scripserunt) — Curc. 2. 3. 65=344 — 4. 3. 19=551 — Epid. 3. 2. 17 — 4. 1. 7 — Men. 553—837 — Merc. prol. 92 — Merc. 982 — Mil. 368—905 — Most. 29—238—728 — Poen. 4. 2. 50 — 5. 4. 17 et 39 — Ps. 865—1111 — Rud. 1. 3. 29=211 — 2. 5. 27=485: Si quidem his mihi ultro adgerunda etiamst aqua. Fl. transposuit „his“ post „ultro“: Si quidem mihi ultro his adgerunda etiamst aqua, sed neque hac mutatione neque forma „ultrod“ mihi opus esse videtur, cum numerus locorum quibus in caesura penthemimeri versuum senariorum iambicorum invenimus hiatum tantus sit, ut de hiatu eo loco a Plauto admisso ego quidem non dubitem. — Rud. 3. 2. 2=616 — (3. 3. 41=703 spurius est versus) — 4. 1. 1=892 — 4. 3. 94=1033 — 4. 4. 51=1095 — Trin. 870—872—983 — (Truc. prol. 21). „Hisce“ invenitur duobus locis in codicibus ante consonantem, quos corruptos esse primo aspectu cuivis patet: Poen. 3. 5. 25 enim in C. est: hisce crebro auritur, in P. hisce credo auditum, B. omnia omittit, sed dubium esse non potest,

[1]) Mostellariae versus 858—860 etiam in Menaechmis leguntur in libris inter versus 984 verba; ibi in B est: metuo ni solent, unde intellegimus in archetypo codice fuisse: metuont i solent, in ceteris est: metuunt solent.

quin ingeniosissima Camerarii coniectura recte restitutum sit: his cerebrum uritur:

Hi qui illum dudum conciliaverunt mihi
Peregrinum Spartanum, id nunc his cerebrum uritur
Me esse hos trecentos Philippos facturum lucri.

Truc. 2. 8. 8: Ut ego hisce suffringam talos totis aedibus.

sed illo ipso loco ubi „hisce" est mendum esse manifestum est, ad quod tollendum tres viae patent; aut, ut plerisque placuit, „his" scribere possumus; quae ratio versus restituendi quamquam simplicissima est, tamen num verissima sit, valde dubito, quia corruptelae originem non explicat. Nam qua tandem re commotum putemus interpolatorem ad formam traditam „his", quae prorsus nihil continebat offensionis, cum forma „hisce" commutandam? Deinde num verisimile est interpolatorem hac mutatione versum se perdere prorsus non vidisse? Tertium, si omnes quibus de simili corruptela cogitari potest locos conquirimus, praeter hunc duos tantum investigare possumus versus Bacch. 787 et Aul. 2. 8. 15; iam vero quaero, num credibile sit illum hominem ad summum tribus locis „has his" in „hasce hisce" mutasse, ceteros omnes non sollicitasse. Itaque si potest alio modo medicina parari versui, hoc praeferendum esse mihi videtur; atque sunt alia remedia; possumus enim aut pro „suffringam" supponere synonymum, velut „elidam" cf. Mil. 167: Ita senex talos *elidi* iussit conservis meis, etiam „effringam" haud improbabiliter conici potest; aut transpositione versum sanare studere, dummodo non cum Fl. (nov. ann. phil. 105, 72) scribamus: Ut ego hisce talos totis suffringam aedibus, sed: Ut hisce ĕgo suffringam talos totis aedibus; proceleusmaticus prima sede saepissime invenitur, neque in correpta syllaba hĭsce offendendum est, quia unisyllabae formae pronominis hic (atque elisione fit hisce unisyllabum), si praecedit vox unisyllaba brevis, saepissime corripiuntur, velut:

Poen. 5. 3. 52: Ut haec inveniantur hódie esse huius filiae cf. Fleck. nov. ann. phil. 61, 42 ann. et Müller Plaut. Prosodie p. 390—401 et 319—326. Haec ratio mihi etiam magis probatur, quam „effringam" vel „ecfringam".

Ceterum utut de hoc loco restituendo iudicamus; id quidem certissimum est, numquam Plautum ante consonantes posuisse „hisce", verum semper „his".

3. Accusativi masc. ante cons. positi invenitur forma *hos*: (Capt. prol. 1) Cist. 2. 1. 13 — 4. 2. 12 — Curc. 1. 3. 31=187 — 5. 3. 47=725 — Men. 104 — Mil. (arg. I. 8) 992—1110 (vos BCD) — Persa 771 — Poen. 3. 1. 3. et 7 et 49 — 3. 5. 26 — 5. 1. 27 — Ps. 9—141—321 — Rud. 1. 2. 43 et 49=131 et 137 — Stich. 335 — Trin. 1135 — Truc. 4. 4. 19 — Bacch. 1151 nihil demontrat ubi R. quidem scribit:

Ego ad hunc [nunc] iratum adgrediar si hos possumus intro inlicere huc,

sed in B est: possumus nos hos intro inlicere huc, Bergkius philol. XVII. p. 53 „nostros" pro „nos hos" coniecit.

(Unus locus quo in codicibus „hosce" praecedit consonantem Capt. prol. 34:

Ēmit hosce de praeda ambos de quaestoribus

manifesto vitiosus est, atque aut scribendum cum Fl. Emit de praeda hosce ambos d. q. aut: Hosce emit de pr. a. d. q.) — Itaque ex accus. masc. formis ante cons. constanter „hos", numquam „hosce" Plautus usurpavit.

4. Accusativi fem. ante cons. positi invenitur forma *has*: Amph. 1. 1. 107=264, quem versum quomodo emendaverim vide supra — Amph. 1. 1. 158=314 — Asin. 2. 4. 20=426 — 3. 3. 145 =735 — Aul. 2. 6. 5 — Bacch. 728—923—935—984—986—988 — Capt. 3. 5. 10=668 — Curc. 1. 1. 80: Eaque extemplo ubi vino has conspersi foris; ubi vix rectum est cum veteribus editoribus pro „extemplo" scribi „extempulo", sed verum vidit Bothius qui coniecit: Eáque ubi extemplo vino has consp. f., quoniam „quom extemplo" vere Plautinum est cf. Holtze Syntaxis priscorum scriptorum Latinorum usque ad Terentium I. p. 102, itemque „ubi ilico" Pseud. 490 Plautus dicit. „Hasce" autem vel „extemplod" vel „cubi" nullo modo probanda sunt. — Merc. 704 — Mil. 310 —930 —1437 — Most. 480—648—761—806 — Persa 195— 247—497—544 — Ps. 20—25—30 — 1134—1331 — Rud.

3. 3. 40=702, quo loco non recte scribitur: Aequom has[ce] petere intellego, decet aps te id impetrari; neque transpositionibus, velut: Has aequom petere e. q. s. (Fleck.) vel Aequom petere has intellego e. q. s. (Bothe), verum restituitur, sed si verba tradita spectamus, intellegimus in initio versus syllabam excidisse, quod eo quoque confirmatur, quod etiam versuum qui praecedunt perierunt initia; quare scribendum est: [A te] aequom has petere e. q. s. vel alia vox addenda. Rud. 3. 3. 14=676 (Fl. illas) — etiam 3. 5. 17=796 videtur Plautus „has" scripsisse non „eas", ut pronomine „hic" usus est saepissime in his scenis ad puellas monstrandas: 3. 3. 14 (?) — 3. 3. 40 et 42 — 3. 4. 22 et 31 et 33 et 35 et 38 et 41 (?) et 45 et 62 — 3. 5. 47 et 58, numquam eas per pronomen „is" significavit — Stich. 52—326 — Trin. (arg. 4) 866—874—894—949 — Truc. 2. 7. 26.

His igitur omnibus locis cum et codices et versus Plautum forma „has" usum esse testentur, tres sunt loci, quibus in libris quidem est „hasce": Most. 796: Sed ut maestus est se hasce (sc. aedis) vendidisse. Quam lectionem quamquam Lorenzius tuetur, tamen falsam esse patet, quod, cum et praecedant et sequantur versus tetrametri bacchiaci, etiam hic versus sit tetr. bacch. necesse est. Quare Fl. et R. transposito „hasce" scribunt: Sed ut maestus est hasce se vendidisse; sed propius ad verum accedit alia lectio quam in adnotatione proponit R.: Sed est maestus sese hasce [aedis] vendidisse; nam [aedis] sine dubio recte addidit, quia aegre substantivo „aedis" hoc loco caremus (conferri etiam potest Most. 1085: Neque se hasce aedis vendidisse); sed praeterea ab eo quod codices commendant non est recendendum, itaque persuasum mihi est Plautum scripsisse: Sed ut maestus est se hasce [aedis] vendidisse, quod etiam Müller, Nachträge zur Plaut. Pros. p. 130 coniecit.

Bacch. 787: Nunc hásce tabellas férre me iussit tibi.

Aul. 2. 8. 15: Nunc túsculum emi et hásce coronas flóreas.

quibus duobus locis „hásce tabellas" et „hásce coronas" iam propter metricam legem de qua dixerunt Ritschelius Mil. praef. p. XXII: „anapaestum ars vetuit binorum vocabulorum consociatione fieri,

quorum prius in media anacrusi finiretur" et Mueller. l. c. p. 13: „In Senaren darf ein Anapaest statt eines Jambus nicht so stehen, dass beide Kürzen oder die erste ein Wortende bilden" ferri nequeunt. Aul. 2. 8 15 si cum Muellero „has" scribimus, corruptelam ex male repetito initio vocabuli quod sequitur explicare possumus, sed recentiores editores Bothius et Wagnerus Prisciani lectionem: „Nunc tusculum emi hoc et coronas floreas" receperunt. Bacch. 787 Hermannus et Ritschelius proposuerunt: hasce tabulas; sed „tabulas" ferri non posse in excursu demonstrabo; Fleck. coniecit: has tabellas; quod Plautum scribere potuisse lubentissime concedo. — Sed utut de his tribus locis restituendis iudicamus, corruptos eos esse nemo potest negare.

Iam quid his omnibus locis allatis efficitur? Cum in numero locorum quibus nom. masc., dat., abl., acc. masc. et fem. ante vocabula leguntur quae a consonanti littera initium capiunt permagno — sunt multo plus quam centum loci — tamen ne unum quidem certum exemplum formarum cum ce in toto Plauto exstet, perspicue apparet Plautum ante vocabula quae incipiunt a consonanti solis formis „hi, his, hos, has" usum esse.

Transeamus ad eos locos quibus hi casus praecedunt voces quarum prima littera est vocalis vel h.

5. Nominativi plur. masc. gen. ante vocales vel h positi invenitur forma *hisce*:

Mil. 374: Non possunt mihi minaciis tuis hisce oculi ecfodiri.

de quo versu plane cum Muellero consentio Plaut. Pros. p. 216 adn.

Mil. 486: Non hercle hisce homines me marem sed feminam
Vicini rentur esse servi militis,

hi .. e A, hisce ceteri libri.

Pseud. 539: Quid si hisce inter se consenserunt Callipho?

Persa 855 sq.: Post dábis sub furcis intro abi, in crucem — Án parum hic exércitum
Hísce me habent? — Cónvenisse Tóxilum te mémineris.

Sic quidem R. scribit, sed in codicibus haec fere leguntur: Et post dabis Sub furcis abi intro in crucem an me hic parum exer-

citum (execitum B, fecitum CD) hisce habent convenisse te toxilum me — traditum igitur est „hisce habent“ neque haec duo vocabula „me“ interposito separari licet; prior autem versus sic mihi facilius et verius, quam R. mutationibus, restitui posse videtur:

Ét post dabĭs sub fúrcis, abi ĭn, crucem. — Án med hic parum
ĕxercitum,

Hisce habent; finis alterius versus qui fuerit nunc quaerere nolo; „intro“ vero ut glossema eici mihi utique necessarium videtur, quia „abi intro in crucem“ ferri nequaquam posse facile est intellectu.

Rud. 2. 1. 5 = 294: Hisce hami atque haec harundines sunt nobis
quaestu et cultu,

hisce nam hami BC.

(Capt. prol. 35: Hisce autem inter sese hunc confinxerunt dolum, „hice in V. C. inducto τῷ s, hisce Pall.“ Pareus)

Mil. 1334: Capita inter se nimis nexa hisce habent,

sic Fl., R. et Lor.: hice, libri: hinc habet.

Men. 958: Quid illuc est quod hice me homines insanire praedicant?

sic versus in editionibus Ritschelii et Brixii scribitur, sed cum codices exhibeant lectionem: me hic homines, scribendum est aut id quod Brixius in adnotatione proponit: me hisce homines, aut quod ego praetulerim: med hisce homines. Sed paucis dicendum est de forma „hice“ quam R. in editione sua his duobus locis scripsit. Notum est etiam Bentleium formam „hisce“ negasse rectam esse, et „hice“ scripsisse, sed nunc nemo, quin „hisce“ antiquitus in usu fuerit, dubitat, quia et grammatici Donatus et Priscianus hanc formam esse Terentianam testantur, et in codicibus Plautinis Terentianisque saepius invenitur, et in inscriptionibus sat multa nom. plur. secundae declinationis in „is, es, eis“ formati exempla, in quibus etiam hoc ipsum „hisce“, inventa sunt cf. Neue Lat. Formenlehre II.² 207. Itaque cum formam „hisce“ Plautinam esse constet, videndum est, possitne etiam „hice“ admitti, quod equidem negandum esse censeo. Nam cum praeter Mil. 1334 et Men. 958 semper in libris „hisce“ scriptum sit, non licet his duobus

locis, quos corruptos esse etiam eis qui „hice“ scribunt concedendum est — est enim in codicibus non „hice“, sed „hic“ vel „hinc“ —, aliam formam Plautum usurpasse statuere, praesertim cum „hice“ neque in inscriptionibus neque in ullius scriptoris codicibus umquam appareat neque a grammatico ullo commemoretur. Accedit quod „hinc“ Mil. 1334 ab „hisce“ non magis abest, quam ab „hice“, et altero loco „hisce“ in „hic“ a librario qui formam „hisce“ ignorabat facile mutari potuisse non solum per se admodum credibile est, verum etiam aliis locis quibus pro ablativo „hisce“ librarii substituerunt „hic“: Cas. 2. 7. 13 — Mil. 290 Ba et pro nominativo „illisce“ „illic“ Most. 935 BF probatur. Quae cum ita sint, quin „hice“ ex Plauto expellendum sit, dubium esse nequit, quod nunc etiam R. concedere videtur N. Plaut. Exc. p. 42.

Denique uno loco „hi“ ante vocalem legitur Amph. 3. 3. 20 = 974:

Iam hi ambo et servos et era frustra sunt duo;

sed tantum abest, ut hic locus legem quam posui evertat, ut egregie eam confirmet; nam cum hiatus nullo modo excusari possit, nemo Fleck. non assentietur emendanti:

Iam hi[sce] ambo et servos et era frustra sunt duo.

E formis igitur nom. plur. masc. gen. Plautum ante vocales et h semper „hi“ posuisse demonstratum est, ac quam grave hoc sit, nemo non videt; etenim cum nom. plur. solus sit casus in quo ubique utra forma vera sit versus certissime ostendat, atque hic ad unum omnibus locis eam normam secutus sit, ut ante vocales et h formam cum ce, ante consonantes breviorem formam usurparit, inde summa nascitur probabilitas in ceteris casibus eum eandem legem observasse; atque cum in hoc casu formam cum ce saepius a librariis depravatam et mutilatam esse certum sit, etiam in ceteris casibus formas „hisce, hosce, hasce“ saepius mutavisse librarios verisimillimum fit.

6. Dat. et abl. ante voc. et h positi invenitur forma *hisce*:

Capt. 2. 1. 17 = 211. Ut sine hisce arbitris atque vobis locum
Detis nobis loqui.

Cas. 2. 7. 13: Hinc ex insidiis hisce („hic“ libri) ego insidias dabo

Cist. 2. 3. 4: Quid id est? — Hinc ex hisce aedibus paullo prius
Vidi exeuntem mulierem.

Curc. 5. 3. 48 = 726: Hisce (sc. pugnis) ego si tu me inritaveris
Placidum te hodie reddam.

Men. 1012: Hisce ego iam sementem in ore faciam pugnosque
obseram.

Merc. 129: At etiam asto? at etiam cesso foribus facere hisce assulas?
his cassulas BCD.

Merc. 799: Nisi hinc abducit quo volt ex hisce aedibus.
his caedibus B.

Mil. 421: Quid tibi istic hisce in aedibus debetur?
codices plerique: istic in hisce aedibus, sed quid Plautus scripserit B. indicat in quo est: istic in sce aedibus, unde patet in archetypo fuisse: istic ^{sce}in aedibus i. e. istisce in aedibus; fuit igitur errore scriptum istic pro istisce, cuius erroris similes iam multos deprehendimus, deinde litterae „c“ in „istic“ suprascriptis litteris „sce“ (istic ^{sce}in aedibus) mendum correctum erat; sed is qui codicem describebat hoc male intellegens litteras suprascriptas post „in“ scripsit; deinde, ut fieri solet, corruptela latius vagata est, ad litteras „sce“ enim, quae sensum nullum praebebant, additis litteris „hi“ effecta est ea scriptura quam in deterioribus codicibus habemus, quam falsam esse iam versus ostendit. Editores autem ut versui subvenirent, „in“ transposuerunt, non Plautinam manum restituentes, sed novam interpolationen addentes; atque mirum est, quod nemo animadvertit neque Plautum neque alium scriptorem dicere potuisse: Quid tibi istic hisce in aedibus debetur? Etiam alio loco Geppertus falsa coniectura idem in Plautum intulit vitium: Poen. prol. 78:

Is illic adulescens habitat hisce in aedibus,

ubi codices rectissimam lectionem habent: Is illic adulescens habitat in illisce aedibus. Sed cur vitiosum esse illum versum qualis ab editoribus scribitur et hanc Gepperti coniecturam dico? Quia bene hoc quidem dici potest: hic in hisce aedibus (Most. 950 — Merc. 799 — Cist. 2. 3. 4), illic in illisce aedibus (Poen. prol. 78),

istic in istisce aedibus, etiam istic in aedibus, sed non *istic* in *hisce* aedibus, neque *illic* in *hisce* aedibus, vel *hic* in *illisce* aedibus, *hic* in *istisce* aedibus. Et cur haec dici nequeunt? Quia prorsus alio modo rem specto, si utor pronomine „ille" atque si pono „hic", alio si rem significo per iste ac si per „hic" eam demonstro, neque potest in eodem parvulo enuntiato eadem res prorsus diverso modo spectari; quare „istic hisce in aedibus", „illic hisce in aedibus" non minus perversum est atque apud nos: *dort* in *diesem* Hause *hier*, vel *hier* in *jenem* Hause *dort*. Scribendum igitur est:

Quid tibĭ istisce in aedibus debetur? quid negotist?

atque accedit hic locus ad eos quibus secunda syllaba vocabuli iambici ante vocalem non eliditur, sed corripitur, ut in Mercatore ter: tuăm amicam cf. Spengel T. Maccius Plautus p. 204 sqq., quem hiatum, si quidem hoc nomine haec res significari potest, si non agnoscis, non maiore difficultate quam ceteris locis tollere potes, velut addendo „nam".

Most. 502: Defodit insepultum clam in hisce aedibus
in hiscedibus C. in hiscedibus Da.
950: Non hic Philolaches adulescens habitat hisce in aedibus.
hiscin aedibus A, hiscedibus B, histedibus FZ.
951: qui versus ex A accessit finit in: hisce aedibus.
Poen 5. 1. 26: In hisce habitare monstratust regionibus.
Ps. 1185: Quid meret machaera? — Helleborum hisce hominibus
opus est.
Trin. prol. 12: Adulescens quidamst qui in hisce habitat aedibus.
Trin. 150: Thensaurum demonstravit mihi in hisce aedibus.
177: An ego alium dominum paterer fieri hisce aedibus
hiscedibus B, hiscedib' C, hisce aedibus DFZ, his aedibus Ar, aut sic aut hic aedibus As.
293: Hisce ego de artibus gratiam facio, his A, hisce ceteri.
402: Minus quindecim dies sunt, quom pro hisce aedibus
Minas quadraginta accepisti a Callicle.
pro hisce aedibus A, isce bibus B, pro his aedibus ceteri.
Vidul. II. 3. A: hiscin aedibus.

„Hisce“ etiam Mil. 290 e codicum corruptelis eruendum est:

Profecto vidi — Tutin? — Egomet duobus hisce oculis meis,

ubi codices plerique et editores omnes „his“ scribunt; sed cum in Ba sit „hic“, ducimur ad formam „hisce“, quam et in „his“ et in „hic“ saepius corruptam esse loci allati probaverunt. — Fortasse etiam Merc. 684:

Nescio quaest mulier intus hic in aedibus.

„hisce in aedibus“ Plautus scripsit. — Deinde Most. 336: Num non vis obviam his ire me — in B. est his.. re me, quod esse potest: hiscire me, atque etiamsi propter codicum C et Da scripturas (C: his ei re me, Da: is eire me) in B. scriptum fuisse putamus: his eire me, tamen „e“ in eire reliquum esse ex „hisce“ putaverim, quare cum Lorenzio et FZ: „hisce ire“ scribo.

His igitur omnibus locis „hisce“ aut in omnibus aut in parte codicum servatum est, aut e codicum corruptelis cum probabilitate erui potest, verum quia vidimus, quot turbas haec forma in codicibus excitarit, cum nonnullis locis exigua tantum huius formae remanserint vestigia, aliis illius „ce“ in parte codicum atque etiam in optimis codicibus omne indicium evanuerit, minime mirum est, quod nonnullis locis in nullo codice illius ce vestigium servatum est. Sed pars eorum locorum quibus „his“ ante vocales in mss. invenimus ob alias causas corrupta est.

Sic Bacch. 581: Foris pultare nescis. ecquis his in aedibust?

primo obtutu „his“ eiciendum esse apparet.

Atque idem faciendum esse videtur:

Amph. arg. II. 5: Absentis. (his) Alcumena decipitur dolis,

ubi editores scripserunt: „his Alcmena“, sed cum „Alcumena“ in omnibus libris legatur, non verisimile est „Alcmena“ scripsisse argumenti compositorem. At mihi obicient editores etiam v. 3. illum „Alcmenam“ scripsisse: Alcmenam uxorem cepit usurariam; sed etiamsi hic versus recte traditus sit, quid obstat, quin statuamus eum uno loco illa quam in fabula semper inveniebat, altero suis temporibus usitata forma usum esse, prout in versum haec vel illa forma quadraret? Tamen facere non possum quin v. 3. „Alcmenam“ in suspicionem vocem; nam praeterquam quod forma

„Alcmenam“ mira est, ferri nequit: Alcmenam cepit uxorem usurariam; nam usurariam quidem cepit Alcumenam, ut prologi v. 107 sq.: Is amare occepit Alcumenam clam virum Usuramque eius corporis cepit sibi-dictum est, ad cuius loci similitudinem argumenti auctor v. 3. scripsit (ut omnino horum argumentorum compositores ex prologis sua desumere soliti sunt cf. Lorenzii ad Militis gloriosi arg. II adnotationes); neque vero eam cepit *uxorem* usurariam; uxor enim ea est mulier quae cum viro legitimo et iusto matrimonio coniuncta est; quare Iuppiter cum nihil nisi corporis eius usuram ceperit, numquam dici potest eam uxorem cepisse; omnino uxor usuraria cogitari nequit, quia est contradictio in adiecto, — mulier enim usuraria plane contraria est uxori — quamobrem argumenti auctor potius dixisse videtur: Iuppiter Amphitruonis uxorem cepit usurariam-, quam sententiam ut restituat facile aliquis conicere potest: „Alienam uxorem“ pro „Alcmenam uxorem“, tamen verisimilius videtur poetam scripsisse „Illius uxorem“, ad quae verba cum adscriptum esset nomen uxoris: „Alcmenam“, hoc nomen in verba scriptoris receptum „illius“ expulit. At dixerit quispiam: Istaec omnia acute disputata videntur, sed tota tua argumentatio corruit quia 1. 2. 35 sq. = 497 sq. legitur: Amphitruo subditivos eccum exit foras

[Atque] Alcumena [una] uxor usuraria.

At contemplemur modo paullo accuratius illum v. 36; tum primum verba: „Cum Alcumena uxore usuraria“ (sic enim in codicibus legitur) versum omnino non efficere apparebit, et deinde etiam frustra esse in illis verbis ad legitimi versus formam redigendis desudare intellegemus. Nam cum non exeat Alcumena cum Iove, sed solus egrediatur Iuppiter, Alcumena in aedibus remaneat; verba „cum Alcumena uxore usuraria“ non Plautina, sed interpolatoris additamentum esse dilucide apparet; neque postquam glossema deprehendimus, originem explicare difficile est; namque cum in scena proxuma Alcumena cum subditivo Amphitruone conloquatur, ipsam quoque e domo egredi putanti necessarium est visum haec verba addere, verba autem „uxore usuraria“ ex illlo ipso argumenti versu sine dubio deprompsit.

Sed ad vere Plautinos versus redeamus. Most. 899: Heus ecquis hic est maxumam qui his iniuriam Foribus defendat. Ne hoc quidem exemplum certum est, cum sintne versus 899 — 903 eo quod Rit. sumpsit metro conscripti, admodum sit dubium; nam Ritschelio compluribus mutationibus opus fuit, ac, si verba qualia in mss. sunt tradita consideramus et periculum facimus eorum in metrum aliquod includendorum, mox cognoscimus facillime effici posse versus senarios iambicos:

Heus écquis hic est máximam qui iniúriam
Foribús defendat, ĕcquis huc exit ăt̆que aperit?
Nemo hinc quidem forăs éxit, sed ut esse áddecet
Nequam hómines ita sunt, eó magis cautóst opus,
Ne huc éxeat qui mále me mulcet.[ábiero huc].

Nihil mutavi nisi quod „sed" quod eo quo in codicibus est loco ferri nequit — quare a R. deletum est — in eum locum transposui quo optime quadrat. — Qui „ĕcquis"[1]) et „ăt̆que"[2]) non admittunt, ut similibus locis „ecqui" et „et" substituere possunt. Quod si recte versus senarios iambicos restitui, in vocabulis „qui his iniuriam" vitium inesse necesse est, quod ut tollamus, „his" aut delendum est aut transponendum.

Capt. 1. 2. 1 sq. = 110 sq.: Advorte animum huc sis: istos captivos duos,
Heri quos emi de praeda a quaestoribus,
His indito catenas singularias.

„his" falsum est, neque vero cum Kochio emend. Plautin. „has" scribendum, sed „is" vel „eis".

Iam restant tres loci:

Mil. 332: Me homo nemo deterruerit, quin ea sit in his[ce] aedibus.

Trin. 1127: Nam exaedificavisset me absque te foret ex his[ce] aedibus.

---

[1]) In altera Trinummi editione etiam R. „ĕcquis" v. 870 agnovit.

[2]) Exempla correptae prioris syllabae vocis atque vide apud Muellerum Pros. 292 sqq., 346 sqq., Nachtr. 14.

Persa 504: Neque istoc redire possum his [ce] octo mensibus.

Iam vero cum satis superque demonstratum sit „ce“ saepius excidisse, quis tandem dubitabit his paucis locis „ce“ addere?

7. Accusativi plur. fem. invenitur forma *hasce*:

Amph. 1. 1. 194 = 350: Quid apud hasce aedis tibi negotist?

Asin. 2. 3. 1 = 381: Ut demonstratae sunt mihi, hasce aedis esse oportet.

Aul. 2. 4. 1: Postquam obsonavit erus et conduxit coquos Tibicenasque hasce apud forum, edixit mihi e. q. s.

Bacch. 1121: Ego atque hic.— Quid hoc est negoti nam, amabo? quis hasce ovis adegit?

sic ego scribo, has huc oves adegit, libri — sed cum versus pro „has huc“ unam syllabam postulet, atque codicum scripturae ipsae ostendant in voce „huc“ nihil certi inesse nisi „c“ — nam h quam saepe additum sit nemo ignorat —: B: has hic oves, C: has huc oves, D: has hc oves, quae omnia orta esse videntur ex „hascoves“ —, Plautum scripsisse censeo: *hasce ovis*.

Capt. 4. 2. 51 = 831: Aperite hasce ambas foris.

Cist. Studemund. emend. Plaut. in indice lectionum Gryphisw. 1871/2:

p. 13: Nam hasce aedis conductas habet meus gnatus.

p. 14: Nimis lepide exconninnavit hasce aedis Alcesimarchus.

Men. 1053: Apud hasce aedis.

Mil. 1023: Pedetemptim tu scis tractari solitas esse huius modi mercis.

sic R., sed libri: pedetemptim tu hec scis tractare sole (sic B, soles C, sole & s D) hasce huius modi mercis, atque cum, ut hic: hasce huius modi mercis, sic Ps. 823 dicatur: hasce herbas huius modi, certe haec ultima verba mutare non licet.

Mil. 1166: Nisi modo unum hoc: hasce esse aedis dicas dotalis tuas.

asce esset BCDa, asce esse Dc, hasce FZ.

Most. 403: Neu quisquam responset, quando hasce aedis pultabit senex.

405: hasce ego aedis occludam hinc foris.
453: Pultando paene confregi hasce ambas foris.
470: Quia septem menses sunt, quom in hasce aedis pedem
Nemo intro tetulit, semel ut emigravimus.
547: Unde is? — Conveni illum, unde hasce aedis emeram.
hasce aedis B, hascedis C Da, hascędis Db, hascędes Dc, hasce aedes FZ.
674: Cupio hercle inspicere hasce aedis.
hasce aed. s A, has. cedis B, hascaedis C, hascędis Da, has aedis FZ.
753: Ut sibi liceret inspicere hasce aedis tuas.
has B, hasce CDFZ.
760: Nam sibi laudavisse hasce ait architectonem.
843: Eho istum, puere, circumduce hasce aedis et conclavia.
has A, hasce ceteri.
905: numquam edepol me scio
Vidisse umquam abiectas aedis nisi modo hasce. — Ecquid placent?
988: Heus vos ecquis hasce aperit! — Quid istas pultas ubi nemo intus est?
aperit has A, hasce aperit ceteri. R. „hasce" delet.
1082: Immo edepol negat profecto, neque se hasce aedis Philolachi
Vendidisse. — has. aedis B, has cedis CDa, hasce aedis DbFZ.
1085: Neque se hasce aedis vendidisse neque sibi argentum datum.
Persa 529: Iam mihi credis? — Ubi nunc illest hospes qui hasce (sc. tabellas) huc attulit?
hasce huc attulit A, hasce attulit BCD.
Poen. 1. 3. 3: Tibi quidem hercle vendere hasce aedis licet.
5. 3. 54: tu istos, Milphio,
Abduc intro, nos hasce hic praestolabimur.

Poen. 5. 6. 7: Quid tibi mecum autem? — Quin hasce aio liberas. sic Muellerus (Pl. Pros. p. 249); B: quia hasce mo liberas, CP: quia hasce modo liberas, Pylades et Geppertus: Quia hasce affirmo liberas; sed „hasce mo“ esse „hasce aio“ probatur alio loco, ubi prorsus idem mendum deprehendimus: Men. 532 „mebas“ pro „aiebas“.

Ps. 823: Quom hasce herbas huius modi in suom alvom congerunt.

Rud. 3. 4. 31 = 736: Num qui minus hasce esse oportet liberas? — Quid liberas?

mss.: hasce oportet esse.

Trin. 168: Aedis venalis hasce inscribit litteris.

181: Neque adeo hasce (sc. aedis) emi mihi nec usurae meae. hascemi A.

848: Quin ego nunc subigor trium nummum causa, ut hasce epistulas

Dicam ab eo homine me accepisse, quem ego qui sit nescio.

„hasce“ solus A servavit, ceteri „has“ exhibent.

Stich. 418: Age abduce hasce intro quas mecum adduxi, Stiche. „hasce“ unus A retinuit, aus B, has ceteri.

Stich. 435: Age abduce hasce intro. hunc tibi dedo diem. „hasce“ in solo A legitur, in ceteris: abduc eas.

Truc. 2. 2. 3: Quid tibi ad hasce accessio aedis est prope aut pultatio?

ab asce B.

Truc. 2. 6. 60: Accipe hoc tibi. — Abduce hasce (istasce Bothius, Fleck.) hinc e conspectu Suras.

Eandem formam rectissime restituit Bergkius Beitr. z. lat. Gramm. I. 133: Truc. 2. 1. 39 ex codicum corruptelis: „hac si adgredias“:

Qui ubi quamque nostrarum videt prope aedis hasce adgredier, „Has“ invenitur:

Bacch. 1127: Rerin ter tu in anno has [ovis] tonsitari,

sic R., sed in libris hic versus sic traditur: Rerin ter in anno tu has tonsitari, neque „ovis“ necessarium est, quare licet eodem iure scribere:

Rerin tute in anno ter has tonsitari.

Most. 977: R. scribit: Tuo cum domino? — Aio. — Quid is has aedis emit proxumas?, sed „has“ in solo A est neque ante „aedis“ sed ante „proxumas“, in ceteris legitur: hic. Nec plus demonstrant duo alii loci: Rud. 3. 3. 41=703: metus has id ut faciant subigit, quia versus est spurius; et Poen. 5. 2. 1: Ain tu tibi dixe Syncerastum, Milphio, Has esse ingenuas ambas subrupticias Karthaginienses; quia ut in tota scena (v. 4. eas, 135 earum, 151 earum, 156 eae) sic hic quoque pronomine „is“ utendum fuit Plauto, quod praeclare confirmat A, in quo revera scriptum est: „eas.“ Manent formae „has“ in mss. ante vocales vel h positae exempla haec: Trin. 124: Emistin de adulescente has[ce] aedis? — Quid taces? Most. 810: Cave tu id illi obiectes nunc in aegritudine,

Te has[ce] emisse.

Most. 455: Eho an tu tetigisti has[ce] aedis? — Quor non tangerem?

in mss. est „tute“ pro „tu“, quod si retinere volumus, quamquam facile ex falso repetitis proximae vocis primis litteris „te“ ad „tu“ addi potuisse concedendum est, „has“ aut transponendum est ante „tetigisti“ aut delendum, neque necessarium esse vv. 465 et 468 probant. His quidem tribus locis, quod „hasce aedis“ tot locis invenitur, iam Fl. et R. „hasce“ proposuerunt, sed eodem iure etiam reliquis paucis locis „hasce“ restituendum est:

Rud. 3. 4. 67 = 772: Qui has[ce] hirundines ex nido volt eripere ingratiis.

Rud. 4. 2. 1 = 906: Neptuno has[ce] ago gratias meo patrono.

sed in libris alio sese ordine excipiunt verba: Neptuno has ago meo patrono gratias.

Mil. 33: Venter creat omnes has[ce] aerumnas.

Asin. 3. 3. 63 = 653: Viginti minae hic sunt in crumina,

Has[ce] ego si vis tibī dabo.

Fleck.: Has ego si vis [nunc] tibi dabo, cui saltem praeferendum fuit: Has [nunc] ego si vis tibi dabo.

(Denique Amph. prol. 143: Ego has[ce] habebo usque hic in petaso pinulas

quia locus est in prologo non Plautino, sitne necesse „hasce“ mutando efficere, difficile est decernere).

Itaque quadraginta fere formae „hasce“ exemplis Plautinis obstant ab altera parte ad summum septem formae „has“; iam vero cum ante cons. semper „has“ scriptum sit, verum ante vocales et h longe plurimis locis „hasce“, etiam paucis reliquis locis si „hasce“ scribimus, non errabimus. Atque nos recte facere eo maiore cum fiducia persuasum habere et eo firmius asseverare possumus, si codicis Ambrosiani lectiones cum ceterorum codicum comparamus scripturis; etenim quamquam in A non minus saepe, quam in ceteris libris, „ce“ in his formis omissum est (cf. „his“ pro „hisce“ Trin. 177, 193, „has“ pro „hasce“ Most. 843, 988), tamen cum plerumque non isdem locis in A et in ceteris mss. „ce“ perierit, factum est, ut in fabulis, in quibus R. lectiones codicis A nobiscum communicavit, cum eorum locorum, quibus in Palatinis „his, has, hos“ ante vocalem scriptum est, quattuor in A legi potuerint, tribus in Ambrosiano inventae sint formae cum „ce“ Trin. 848 -- Stich. 418 —435, uno tantum Persa 504 etiam in A „his“ scriptum esse videatur. Ecce eximiam meae legis confirmationem! Iam vero cum his locis codices BCD erroris convicti sint, quis tandem tam perverso sit iudicio, ut ceteris locis quibus, quia quid in A sit vel fuerit nescimus, manifesto coargui sane non possunt, eos erroris absolvat?

8. Accusativi plur. masc. ante vocales et h positi forma *hosce* invenitur:

Asin. 3. 3. 147 = 737: Meritissumo eius qui volet faciemus, qui hosce
amores
Nostros dispulsos compulit.

Aul. 3. 5. 43 (et 46): Iam hosce absolutos censeas.

Capt. 3. 2. 2 = 500: sicut feci ego heri, quom emi hosce homines.

Curc. 1. 1. 74: Me te atque hosce omnis.

Most. 822: Quanti hosce (sc. postes) emeras?

Poen. 3. 43: Accipe hoc sis. hic sunt numerati aurei
Trecenti nummi, qui vocantur Philippei.
Hinc me procura, propere hosce absumi volo.

REESE LIBRARY OF THE UNIVERSITY

Poen. 5. 2. 22: Adibo ad hosce atque appellabo Punice.
Trin. 877: Fac me certiorem, hosce homines si scis ubi habitent, pater.
mss.: Fac me si scis certiorem hosce homines ubi habitent, pater.
Trin. 948: sed monstra hosce homines mihi.
(ad quos locos accedit Capt. prol. 34, de quo supra diximus:
Hosce emit de praeda ambos de quaestoribus)

„Hos" vero invenitur in mss., pro quo quin „hosce" scribendum sit, iam dubium esse nequit:
Capt. 2. 3. 95 = 455: An etiam dubitavi hos[ce] homines emerem an non emerem diu.

cf. supra p. 19.

Poen. 5. 3. 28: Tu abduce hos[ce] intro (has libri)
et Amph. 2. 2. 224 = 854: Duc hos[ce] intro.
Cum Stich. 418 et 435: abduce hasce intro. — codex Ambrosianus nos docuerit in Palatinis falso „ce" omissum esse, etiam his duobus locis illorum simillimis quin „ce" librariorum culpa exciderit, quis potest dubitare? cf. etiam Truc. 2. 6. 60: Abduce hasce intro.

Aul. 2. 6. 2: hos[ce] ut accipias coquos
(cf. Aul. 2. 4. 1: postquam erus conduxit coquos Tibicenasque hasce apud forum)
Aul. 3. 1. 9: Itaque omnis exegit foras, me atque hos[ce] onustos fustibus.
(cf. Curc. 1. 1. 74: Me atque hosce omnis.)

Iam congestis omnibus quibus „hi, his, has, hos, hisce (nom.), hisce (dat. abl.), hasce, hosce" leguntur locis omnia quae adhuc disputavi paucis complectar:

1. Formae cum ce, c non modo cum substantivis coniunguntur quae significant res praesentes quas is qui loquitur oculis videre et digito vel gestu monstrare potest, sed etiam de rebus hominibusque absentibus dicuntur atque adeo de notionibus abstractis; ergo in hac re eārum usus non est diversus ab alterarum formarum usu; atque cum omnino locis inter se plane gemellis, saepius in eodem enuntiato, modo hae modo illae formae usur-

pentur, luculenter apparet nullum inter eas significationis discrimen intercedere, sed vim ac rationem demonstrativam earum prorsus eandem esse.

2. Nihilominus in usu earum diversitas quaedam potest esse; verum quod Fleck. statuit apud alia vocabula, velut „aedes", semper formas quae litteris ce, c terminantur, alteras semper apud alia, velut „tabellae epistulae", probari non potest, quia et apud „aedes" breviorum formarum exempla haud dubia exstant et apud „tabellae epistulae" formae „hasce". Immo saepissime apud eadem vocabula utraeque formae reperiuntur, ac, si quando apud substantivum aliquod alterarum formarum desunt exempla, soli casui tribuendum est.

3. Sed cum ne ex natura quidem et indole singulorum substantivorum quicquam, ex quo diversus usus diversarum formarum possit explicari, desumi possit, tamen aliam differentiam conspicimus. Etenim si certos locos quibus, inter se illis simillimis, apud eadem vocabula modo formae cum ce modo formae sine ce leguntur componimus, mirum est et memorabile, quod illas semper sequitur vocalis vel h, has consonans littera.

4. Inde cum admodum verisimile fiat omnino Plautum in usu harum formarum eam normam observasse, ut „hi, his, hos, has" semper ante vocabula quae a consonanti, „hisce, hosce, hasce" ante vocabula quae a vocali vel h initium habent posuerit, si iam omnes quibus hae inveniuntur formae locos componimus, certum fit. Nam ad unum omnes ei loci, quibus propter versum et facillime et certissime, utra forma unice vera sit, potest decerni, cum hac lege consentiunt; revera ante cons. solas formas „hi, his, hos, has" poni videmus, ante voc. et h semper „hisce". Deinde vero ubi dat. acc. abl. ante vocales et h leguntur, longe plurimis locis „hisce, hasce, hosce" conspicimus, paucis sane in codicibus est: „his, hos, has." Iam vero cum eadem regula quae in locis certis valet ut etiam in ceteris valeat, sit exspectandum; praesertim cum accedat, quod pro „hisce, hosce, hasce" librarios haud raro substituisse „his, hos, has" constat, et nonnullis locis quibus antea „his, has" vulgabatur nunc e codice deleticio „hisce, hasce" restitutum est:

quin illis paucis locis „ce“ librariorum culpa omissum sit, dubium esse nullo modo potest. Quae cum ita sint hanc regulam Plautum severe observasse mihi videor demonstravisse, ut ante vocabula quae a vocali vel h incipiunt semper posuerit: hisce (nom.), hisce (dat. abl.), hosce, hasce, ante vocabula quae initium capiunt a consonanti littera constanter: hi, his, hos, has; quam eandem legem Terentium secutum esse nuper in Hermae Berolinensis vol. VIII. p. 478 sqq. probavi.

Sed haec lex quamquam tanto numero tantoque pondere argumentorum munita est, ut, ne a quoquam impugnetur, non verear, tamen ut explicetur, permulti postulabunt. Est igitur huic quaestioni respondendum: Cur Plautus ante vocales et h antiquas formas „hisce, hosce, hasce“ servavit, ante consonantes non retinuit? Sic enim quaestio mihi definienda videtur, cum antiquitus omnibus huius pronominis casibus quin constanter „ce“ adhaeserit, dubitare non possimus, propterea quod in permultis casibus omnibus temporibus remansit „c“, atque ceteris quoque antiquis temporibus „ce“ affixum videmus. Ergo fuit aliquando tempus, quo Romani semper dicebant: hice, haece, hoce (nom. acc.), huiusce, huice, hunce, hance, hoce (abl.), hace, hisce, haece (fem. pl.), haece (neutr.), horunce, harunce, hisce, hosce, hasce; sed postea finalis littera „e“ ut in multis aliis vocabulis, etiam in his formis decidit; sic ortae sunt formae: hic, haec, hoc, huic, hunc, hanc, hoc, hac, haec (fem pl.), haec (neutr.), horunc, harunc, itemque ex formis: hisce (nom.), hisce (dat. abl.), hosce, hasce factum est: hisc, hosc, hasc, quas formas si sequebatur consonans, cum propter nimiam duritatem nemo Romanus bene pronuntiare posset, etiam „c“ detrudi necesse fuit; sin autem sequebatur vocalis vel h, nulla aderat litterae „c“ abiciendae causa, quia „c“ ad syllabam quae sequebatur in pronuntiando trahi poterat, et „hascaedis, hascemi“ facile pronuntiabatur. Atque conicere certe licet Plautum non modo pronuntiasse, sed etiam scripsisse: „hascaedis, hascemi, hiscin aedibus“ sine „e“, cum mirum sit quoties „e“ in codicibus nostris et quidem in optimis omissum sit: Merc. 129 hiscassulas BCD — Merc. 799 hiscaedibus B — Most. 502: hiscedibus CDa — Trin. 177: hisce-

dibus BC — Trin. 402: iscebibus B — Most. 547: hascedis CDa — Most. 674: has. cedis B, hascaedis C, hascedis Da — Most. 1082: has. cedis B, has cedis CDa — Most. 950: hiscin aedibus A — fragm. Vidul. hiscin aedibus A — Trin. 181: hascemi A, cf. etiam Most. 935: illis chomines CD, et similia etiam in fabulis a R. nondum editis detectum iri verisimile est; ex qua codicum scriptura etiam facilius explicantur corruptelae „hic, illic" pro „hisce illisce", „his, hos, has" pro „hisce, hosce, hasce".[1])[2]) Tamen de hac coniectura ne omnes scrupuli mihi sint evulsi, prohibet, quod plerumque sequitur littera „e" (vel „ae"), ante quam facile casu vel neglegentia extrema littera harum formarum excidere potuit (cf. Trin. 177 ubi in Ea G scriptum est: hiscedibus, quamquam in codice D, ex quo hi codices sunt oriundi, hisce aedibus inest.), et quod etiam alia, quorum sane satis exiguus est numerus, exstant exempla litterarum, quae elisione absumuntur, etiam scribendo non expressarum.

Iam postquam quomodo formis: „hi, his, hos, has" et „hisce, hisce, hosce, hasce" usus sit Plautus, et, unde explicatio diversi usus sit repetenda, satis expositum est, transeamus ad formas

---

[1]) Etiam A. Spengel in Trinummi editione quae, postquam haec scripsi, demum prodiit has codicum scripturas notavit praef. XII. Quod ille vero eodem loco dicit: „v. 125 retinui: has aedis, ne librorum scriptura hoc in genere obscuretur, quamquam nullus dubito, quin recte a Fleckeiseno repositum sit „hasce aedis", nimia tenetur verecundia; etenim si numquam librorum scripturas vult obscurare, omnino abstinendum est mutationibus; quod cum neque fecerit neque facere possit, certe eae coniecturae in scriptoris verba sunt ei recipiendae, quae nihil dubitationis ei habere videntur. V. 293 recte Spengel „hisce artibus" cum Palatinis contra Ambrosianum librum scripsit.

[2]) Typographo traditurus hanc dissertationem accipio actorum societatis philologae Lipsiensis quae ed. F. Ritschelius tomum IV., in quo Gustavus Loewe has formas p. 399 sqq. collegit; quodsi ille p. 351 dicit: ich überlasse es der Zukunft, eine befriedigende Erklärung zu finden, sufficientem explicationem attuli. Tamen num „kein Verständiger diese Formen einem blossen Versehen zuschreiben wird", valde dubito.

nominativi plur. fem. gen.: hae et haec. Ex quibus ante vocales et h sola forma „haec“ locum habet:

Aul. 2. 8. 16: Haec (sc. coronae) imponentur in foco nostro Lari.

Bacch. 1122: Ovis nos vocánt pessumaé. Pastor hárum
Dormit, quom haec ēunt sic a pecú palitántes

B: hae eunt, C: haec eunt, D: hec eunt, R. et Fl. deleverunt „haec“, sed, si quid delendum esset, rectius „sic“ eiceretur, cum antiqua forma „haec“ in se habeat documentum veritatis; verum omnia recte retineri possunt, dummodo „eunt“ una syllaba pronuntiemus, ut

Poen. 1. 2. 117: Eúnt hae. Quid si adeamus ad eas? Primum
prima salva sis

cf. R. prol. trin. CLXIV; Fleck. nov. ann. phil. 60. 262, Wagner Aul. LVII, Corssen Aussprache, Vocalismus und Betonung der lateinischen Sprache II. 759, Müller Plaut. Pros. 456.

Bacch. 1142: Hae[c] oves vobis malam rem magnam quam debent
dabunt.

hac libri, haec postulat versus.

item Bacch. 1140 hae[c] oves restituendum est:

Revortamur intro soror.— Ilico ambae
Manete: hae[c] oves volunt nos.

Cist. Studemund. l. c. p. 13: A: Venerem meram haec aedes olent.

Most. 165: Madent iam in corde parietes: periere haec oppido aedes. hec solus B, hae ceteri.

Eandem formam cum necessitate addiderunt R. et Fl.

Most. 400: Omnium primumdum [haec] aedes iam face occlusae
sient.

Most. 640: Nam postquam haec aedes ita erant ut dixi tibi, haeccedis B, haec cedis C, haeccedis D

Poen. 5. 3. 52: Ut hāec inveniantur hodie esse huius filiae.

Fortunae gratia habenda est, quod hoc loco nobis servavit „haec“, absque quo esset facile ex hoc loco aliquis posset petere argumentum, quo meam infringeret regulam; sed cum codices „c“ retinuerint, quin „haec“ rectum sit, et „haec“ corripiendum sit, dubium esse nequit.

Rud. 2. 1. 5=294: Hisce hami atque hae[c] hirundines sunt nobis
quaestu et cultu.

hae libri, haec versus requirit.

Rud. 3. 4. 22=727: Veneri hae[c] autem complacuerunt. — Habeat,
si argentum dabit.

Sic recte Fleck., codices: hae autem Veneri.

Rud. 3. 4. 41=746: Quid mea refert, hae[c] Athenis nataene an
Thebis sient?

Sic Fl., codices: hae; fortasse poeta scripsit „istae" ut v. 20 et 21 et 47 et ipso qui praecedit versu:

Argentum pro *istisce* ambabus quoiae erant domino dedi,
Quid mea refert, *istae* Athenis nataene an Thebis sient?

Sed cum ante vocales et h utram formam usurparit Plautus, haud difficile sit perspectu; ante consonantes quomodo diversis formis usus sit, admodum impedita est quaestio.

„Haec" enim scriptum est in mss., aut in mss. corruptelis latere homines docti coniecerunt his locis:

Asin. 4. 1. 63=808: Haec sunt non nugae.

Aul. 3. 5. 58: Haec sunt atque aliae multae in magnis dotibus
Incommoditates.

Epid. 5. 2. 23: Conligandae haec (sc. manus) sunt tibi hodie.

Mil. 583: Dum haec consilescunt turbae atque irae leniunt.

hęc BZ, hec F, hae CD.

Most. 771: Molestus ne sis, haec (sc. aedes) sunt sicut praedico.

Poen. 5. 7. 3: modo cognovit filias
Suas hasce esse ambas. — Em quod verbum aures meas
Tetigit? Nunc perii. Unde haec perierunt domo?

haec solus A, ceteri hae.

Rud. 4. 4. 51=1095: Haec poterunt novisse, ostendere his iube.

Rud. 1. 3. 17=199: Haec bonorum eius sunt reliquiae.

Rud. 1. 5. 24=282: Sed haec pauperes sunt, inopes res, puellae.

B: initio „hic", postea „hec", al. heic, vett. edd. „hae".

Stich. 18: Haec res vitae me, soror, saturant,
19: Haec mihi dividiae et senio sunt.

„haec res“ et „haec mihi“ solus A, ceteri omnes „hae res“ BC vel „heres“ DF et „hae mi“.

Trin. 390: Dabitur opera. — Lepidus vivis, haec sunt aedes, hic habet.

Truc. 2. 2. 20: Pignus da, ni ligneae haec sint quas habes Victorias. lavinie hic sunt BCD, ligneae hae sint A partim e Stud. coniectura; cum in A insit „hae“, in ceteris „hic“, Bugge nov. ann. phil. 1873 p. 408 coniecit: haec.

Truc. 2. 2. 40: Pessumae estis. — Quid est quod vobis pessumae haec malefecerint?

hae malefecerint A, hec ma B, haec C, hec D.

Fragm. Citellariae: Non quasi ut haec sunt hic limaces lividae.

„Hae“ invenitur in libris:

Bacch. 801: Quid hae locuntur litterae?

808: Nullus homo dicit, hae tabellae te arguont,

809: Quas tu attulisti, em hae te vinciri iubent.

1125: Attonsae hae quidem ambae usque sunt.

R. delet „hae“, sed iniuria, nam „quidem“ solet sequi pronomina, atque, ne quis iure dicere possit nimis obscurari „hae“ post „attonsae“ in pronuntiando, prohibent alii loci: Ps. 23: litterae hae, Most. 504: Scelestae hae sunt aedes, Ps. 1190: Uncti hi sunt senes.

Curc. 1. 1. 39: Lenonis hae sunt aedes.

Epid. 2. 2. 32: Pleraeque hae sub vestimentis secum habebant retia, quo loco „eae“ quod in B est mihi recipiendum videtur.

Most. 504: Scelestae hae sunt aedes, impiast habitatio.

sed quia scelestae suspectum est Ritschelio, scripsit: Scelestae haec aedes.

Persa 497: Tabellas tene has, pellege. — Hae quid ad me? (hae etiam As)

Poen. 1. 2. 5: Neque umquam satis hae duae res ornantur

sic libri, sed propter versum mutatione cum opus sit, Hermannus coniecit: sat istae.

1. 2. 117: Eunt hae. — Quid si adeamus ad eas?

3. 2. 32: Fores hae fecerunt magnum flagitium modo.

Poen. 5. 4. 78: Ubi sunt eae aut quae sunt obsecro? Satis hae sunt maceratae.

sic A, ceteri: satis immaceratae.

Trin. 1124: Hae (sc. fores) sonitu suo moram mihi obiciunt incommode.

Rud. 1. 4. 8=227: Nec magis solae terrae solae sunt, quam haec [sunt] loca atque hae regiones.

Ps. 23: Ut opinor, quaerunt litterae hae sibi liberos.

594: Hi loci atque hae sunt regiones quae ab ero mihi sunt demonstratae.

Stich. 312: Nimis vellem hae fores erum fugissent.

Exempla utriusque formae iam habes congesta[1]); quae si numeras, formarum „haec" et „hae" eundem invenis numerum. Tamen cum minime codicibus semper fides habenda sit, disceptandum est, utrum utramque formam admiserit Plautus an semper „hae" an semper „haec" dixerit; quod ideo admodum difficile est ad decernendum, quia, cum versus arbitrio careamus, soli ratiocinationi res est permissa. Iam quia ante consonantes solas formas sine „ce" invenimus: „hi, his, hos, has"; facile aliquis ad eam sententiam propensus esse potest, Plautum ante consonantes etiam in nom. fem. gen. solam formam sine „c" „hae" usurpasse; neque vero recte is iudicaverit, nam primum quidem iam multitudo locorum quibus „haec" in codicibus legitur coget eum suam opinionem missam facere, neque enim, quamquam concedi potest interdum pro „hae" errore „haec" scribi potuisse, tot locis erratum esse, et quidem saepius in ipsis antiquissimis codicibus erratum esse, ullo modo verisimile est; deinde vero ex nom. masc. gen., dat. abl. acc. formis coniecturam facere de nom. fem. gen. non licet, quod in formis „hisc, hosc, hasc" quidem summa necessitas erat „c" abiciendi, quippe quae Romano ori essent intolerabiles, in forma „haec" pronuntianda prorsus nulla aderat difficultas. Idcirco cur

[1]) F. Neue quoque Formenlehre der lateinischen Sprache, 2^2.207 sq. formae „haec" exempla collegit, sed si illius locorum enumerationem cum mea comparabis, haud paucos illum omisisse locos et de nonnullis falsa retulisse videbis.

„haec" reiciamus eis quibus in libris traditum est locis, prorsus nulla est causa idonea. Immo non modo his locis „haec" servandum est, sed etiam aliis locis Plautum scripsisse „haec" verisimillimum est, propterea quod et ei loci quibus in uno tantum codice, plerumque in Ambrosiano, „c" remansit et ei quibus ante vocales in omnibus mss. „hae" legitur, cum versus „haec" requirat, luculenter demonstrant persaepe in libris „c" excidisse. Tamen criticus cautus et consideratus etiam eorum locorum nonnullis, quibus nunc in codicibus omnibus legitur „hae", Plautum scripsisse „haec" fortasse concedet ille quidem, sed nolet umquam contra codices quicquam novare, cum, quinam sint ei loci, quibus Plautus „haec" non „hae" dixerit, nullo modo possit expediri. Rectius hic sine dubio facit, quam qui nonnullis locis „hae" in „haec" mutant, ceteris „hae" retinent, quia quod illi sumunt quaedam vocabula requirere „haec", alia „hae", vel res et homines qui coram adsunt monstrari forma „haec", absentes forma „hae", nullo modo probari potest. *Ego vero semper pro „hae" substituere „haec" audeo* neque tamen temeritatis opprobrium me mihi contracturum spero. Nam si spectamus eos locos, quibus nom. fem. gen. sequitur vocalis, quibus „haec" Plautum et Terentium semper scripsisse constat, apud Plautum invenimus totidem fere locis in codicibus omnibus „c" deesse, quot servatum est, atque quattuor locis Terentianis[1]) omnibus, praeterquam quod duobus in A „haec" remansit, in omnibus bonis codicibus „hae" scriptum esse. Atque cum idem quod ante vocales factum esse videmus, certe non minus saepe ante cons. factum esse sumendum sit, itaque cum etiam ante cons. formam „haec" non saepius integram servatam, quam in „hae" mutatam credendum sit; „haec", quod quindecim locis retinuerunt libri, etiam ceteris quindecim locis a Plauto scriptum fuisse tanta cum verisimilitudine mihi conici posse videtur, quantam in his rebus omnino possumus asse-

[1]) In Herma Berolinensi 8. 481 ubi Terentianos locos composui omisi duos: Hec. 5. 1. 36: Nam non sunt solae arbitratae haec, ego quoque etiam credidi (A: hap, ceteri: hae, Bentleius ex libris „haec"). Hec. 5. 2. 24: At haec amicae erunt (ubi solus A „haec" retinuit).

qui; atque eo maiore fiducia me recte his locis „haec“ restituere confido, quod tribus locis, quibus antea „hae“ legebatur, nunc ex codice A „haec“ Plautum scripsisse cognitum est: Poen. 5. 7. 5 — Stich. 18—19. Ergo post Plauti aetatem *„hae“* demum pro „haec“ in usum venit, abiectum autem est „c“, non quod „haec“ non commodum fuerit pronuntiatu, sed ut nom. fem. gen. plur. discernatur ab nom. neutr. gen. et ab nom. fem. gen. sing. Iam quaestio retractanda est, quomodo apud Terentium, quem ante vocales semper „haec“ posuisse certum est, de formis „hae“ et „haec“ consonantem litteram praecedentibus sit iudicandum. Ac tres vias nisi fallor ingredi possumus, aut semper „hae“ aut semper „haec“ aut eis locis quibus formae „haec“ testimonia adsunt „haec“, ceteris „hae“ scribere possumus. Primam rationem ego nuper defendi l. c. p. 479 sq. neque vero me fugit etiam tertiam argumentis fulciri posse, atque etiam secunda, quamvis audax videatur, habet quo se commendet. Tamen ut res certo diiudicari possit, necessarium videtur etiam eos locos quibus in aliorum scriptorum codicibus „haec“ legitur componere et de eis quomodo iudicandum sit quaerere. Admodum autem miror, quod nullam harum viarum ingressi sunt recentiores editores, sed aliam, quam utique falsam esse equidem arbitror; illi enim propter Donati testimonium ad Andr. 4. 1. 32: „legitur et haec nuptiae“ non solum hoc loco, sed etiam ceteris, quibus apud „nuptiae“ invenitur nom. pl. pronominis „hic“, „haec“ scripserunt, sed quamquam „haec sunt nuptiae“ etiam Turp. 41. Ribb. legitur, tamen, si omnino formas „haec“ et „hae“ apud Terentium admittimus, cur apud nuptiae „hae“ admitti non possit, non intellegitur. Nam quid in indole et natura vocis nuptiarum insit, quod formam „haec“ requirat, „hae“ respuat, nemodum excogitare potuit, neque quicquam inesse evidentissime inde apparet, quod apud Terentium et „has nuptias“ et „nuptias hasce“, et „his nuptiis“ et „nuptiis hisce“ invenimus cf. l. c. 479 sq. Ceterum illis, si sibi constantes esse volunt, nullo loco „hae“ relinquendum est, nam quia Eun. 1. 2. 9 in A est: haec fores, etiam loco gemello Eun. 2. 2. 51 hae[c] fores — scribere coguntur, et, quia Plaut. Mil. 583 legitur: Dum haec consilescunt turbae, Ad. 5. 2. 10: Dum hae[c]

silescunt turbae — eis est corrigendum; verum quamquam Terentium etiam ante consonantes semper posuisse „haec", ut iam dixi, cum probabilitate quadam statui potest, tamen hanc argumentandi rationem reprobo.

Sed ad Plautum redeamus et de genetivi formis accuratius quaeramus. Atque ante ea quidem vocabula quorum prima littera est vocalis vel h Plautum semper „horunc, harunc" usurpasse non difficile erit mihi demonstrare. Praecedit autem genetivus vocalem his locis:

Merc. 399: Horunc illa nihilum quicquam facere poterit admodum.
horunc illa CD, horum ancilla B, quod ad idem nos ducit.

Merc. 832: Usus, fructus, victus, cultus iam mihi harunc aedium
Interemptust, interfectust, alienatust. occidi.
harum FZ Nonius.

Most. 404: Numquid aliud? — Clavem mi harunc aedium Laconicam
Iam iube efferri intus. — harumcedium Ba, harũ cediũ C, haruncedium D, harumce edium F, harum edium Bb.

Stich. 449: est etiam hic ostium

Aliud posticum nostrarum harunc aedium. — harunce A B, harum ceteri — „harunce" hoc loco non magis recipiendum esse puto quam Most. 404, ubi, cum F ex D fluxerit, in D. vero haruncedium scriptum sit, „e" falso additum esse patet (cf. Most. 502 in isce dibus Da, in hiscedibus Db, in hisce aedibus F; Most. 547: hascedis Da, hascedis Db, hasce aedis F. — Most. 1082: hascedis Da, hasce aedis DbF), „horunc harunc" autem, non „horunce harunce" Plautum scripsisse inde cognoscitur, quod primum ceteris locis quibus gen. praecedit vocalem „harunc horunc" in codicibus traditum est, neque quicquam est cur librarios constanter „e" sustulisse putemus, deinde quod ante consonantes „horunc harunc", non „horunce harunce" a Plauto scripta esse versus certissime confirmat, tum quod omnino apud Plautum in omnibus casibus pronominis „hic" „e" semper deest, formae enim: „hoce, huice, hunce, hance, haece," quas editores nonnumquam in Plautum intulerunt, rursus extruden-

dae sunt. Etiam „horum harum“ ante vocales in libris invenitur paucis locis, sed eos omnes mendosos esse et plerisque nihil nisi quod Merc. 832, Stich. 450 in aliquot vidimus codicibus factum esse in omnibus accidisse, falso formas „harum horum“ formis „harunc horunc“ substitutum esse perfacile est probatu.

Poen. 3. 1. 48: Horunc hic nunc causa haec agitur spectatorum fabula.

horum libri, sed horunc versus requirit.

Poen. 5. 2. 8: Cretast profecto horunc hominum oratio.

horum libri, horunc versus postulat.

Aul. 4. 9. 9: Em nemo habet horunc? Occidisti: dic igitur, quis habet. nescis?

horum libri, forma „horunc“ versum in integrum restituit; Wagner autem coniecit: [si] quis habet[1]), possit etiam post „horum“ addi „me“: [me]occidisti.

Denique duo restant loci, quorum alterum Poen. prol. 115, quem sane, quia in prologo non Plautino inest, praetermittere possum, corruptum esse versus declarat:

Pater harum idem huic patruus adulescentulost.

„harum“ in codicibus esse videtur, cum apud Pareum „harum‘ legatur, neque alia codicum lectio sit adnotata, neque ex eo quod‘ in Gepperti editione scriptum est: „harunc“, neque in adnotatione is quicquam dicit nisi: P: harum — contrarium concludi possit, quia Geppertus ipse profitetur se codicis Parisini lectiones constanter commemorare, ex ceterorum autem mss. lectionibus notabiliores tantum ascribere. Sed hic alio remedio utendum est ad versum sanandum, quamquam hic quoque editores „harunc“ correxerunt, pro pronomine enim „hic“, quod sententiae non convenit,

---

[1]) quod probari non posse Becker exposuit in accuratissima de syntaxi interrogationum obliquarum apud priscos scriptores Latinos commentatione in Studemundii studiis in priscos scriptores Latinos collatis p. 129; sed quod Beckerus putat nihil esse mutandum, sed hunc versum esse septenarium mediis octonariis insertum, probari non magis potest.

pronomen „is“ necessarium est cf. v. 87 eas, 88 eas, 96 earum, 104 eas:

Patér[1]) earum idem huic pátruos adulescéntulost.
Eadem medicina adhibenda est loco qui est

Epid. 2. 2. 53: Occepere aliae mulieres
Duae sic post me fabulari inter sese. ego abscessi sciens
Paullum ab illis: dissimulabam me harum sermoni operam dare.

sic Palatini et P, multo rectius A: dissimulabam harum operam sermoni dare, in quo nihil erratum est, nisi quod „harum“ pro „earum“ perperam scriptum est; in narratione enim Epidici de mulieribus illis, quas vidit, „harum“ non quadrare liquet, sed requiritur „illarum“ vel, cum praecedat „illis“, „earum“ (cf. e. c.

Poen. 4. 2. 76: Duas *illas* et Giddenemen nutricem *earum* tertiam);

„earum“ autem quam facile in „harum“ corrumpi potuerit, ostendit Poen. 5. 2. 151 ubi in B est: „eharum“ pro „earum“, atque hoc loco olim scriptum fuisse „earum“ ipsa indicat Palatinorum lectio: dissimulabam me harum, in qua „me“ nihil est nisi male repetita ultima littera vocabuli quod praecedit coniuncta cum prima littera vocabuli „earum“. Ceterum „earum“ Plautum scripsisse iam Brixius perspexit N. Jahrb. f. Phil. 101. 766.

Itaque cum eos locos quibus „horum harum“ legitur vitiosos esse omnes exposuerim, Plautum, ubi gen. plur. num. praecedit vocalem vel h, semper usum esse formis „horunc harunc“ demonstratum est; ante consonantes vero videtur utrasque formas admisisse, plerumque enim „horum harum“ legimus: Amph. (prol. 105, 146 ubi Fl., ut hiatum tolleret, „horunce“ male scripsit) 3. 1.

---

[1]) „Patér earum“ nihil offensionis habere ostendunt hi loci:
Persa 57: *Patér avos* proavos abavos atavos tritavos.
Persa 355: *Patér, hominum* immortalis est insania.
cf. Mil. 373: Ibi mei sunt maiorés siti, *patér avos* proavos ábavos (patér a — in primo post diaeresin pede), ut ex aliis pedibus desumpta huius accentus exempla omittam. cf. Muellerum Prosod. 40, 649 A. 2, Nachträge 104.

14=874 (ubi Fl. sine idonea causa „horunc“ scripsit), Aul. 2. 5. 22. — Bacch. 578 — 1122. — Cas. 2. 4. 12 — 2. 8. 8, — Epid. 1. 1. 93. — Mil. 284. — Most. 1071. — Poen. 5. 2. 24. — Ps. 69—99—414—720. — Stich. 329, ubi quamquam transpositione opus est, tamen „harum“ ante „ergo“ ponere non licet, sed legi potest: Nam harum me quidem miserebat. — Stich. 711. — Trin. 228—1049; sed etiam exstant exempla formarum *horunc harunc:*

Amph. 1. 1. 200=356: Hic inquam habito ego atque horunc sum servos. — At scin quomodo?

Capt. 2. 3. 71=431: Atque horunc verborum causa cave tu mihi iratus fuas.

Cist. 1. 1. 53: Di faxint. — Sine opera tua di horunc nil facere possunt.

Curc. 1. 1. 71: Nunc ara Veneris haec est ante horunc foris.

Mil. 1016: Cedo signum, si harunc Baccharum es.

Persa 161: Iam faxo hic aderunt. sed ego nihil horunc scio.

Iam quaeritur, quid ex his sex locis concludi et deduci possit. Atque qui propter hos sex locos etiam ceteris viginti locis „horunc harunc“ scribere volet, merito temeritatis arguetur; sed etiam contrarium si quis facere velit sic ratiocinatus: Cum apud Terentium semper ante cons. „horum harum“ legatur, cum eaedem formae etiam apud Plautum plerumque traditae sint, hi pauci loci corrigendi sunt; vix plausum ferat. Etenim contrario modo si res sese haberet, si vicies „horunc harunc“, sexies „horum harum“ in mss. inveniretur, nullum temporis momentum dubius haererem, quin Plautus semper „horunc harunc“ scripserit, sed cum, quomodo „horum harum“ a librariis in „horunc harunc“ mutatum sit, non sit facile intellectu, pro „harunc horunc“ coniectura „horum harum“ substituere mihi admodum periculosum et lubricum videtur. Possunt sane nonnulli horum sex locorum ita removeri, ut vocabulorum ordine mutando efficiatur, ut „horunc harunc“ praecedat vocalem, tamen semper remanent loci, quibus nisi pro „horunc“ „horum“ scribitur, quam equidem committere vereor audaciam, „horunc“ ante consonantem positum tolli nequit.

Quod autem Terentius ante cons. solas formas „horum harum“ usurpavit, non est magni momenti, quia permultas antiquas formas quibus Plautus etiamtum usus est Terentius iam non habet. Itaque non tam de mutatione horum sex locorum mihi cogitandum videtur, quam de explicatione, quomodo factum sit, ut Plautus utrasque formas admiserit et formis brevioribus saepius quam alteris usus sit; causa vero haec est: Cum formarum pronominis „hic“ vel „hice“ ultima littera decidisset, exstiterunt formae „horunc harunc“; quas eloqui ante vocales et h quia nequaquam molestum erat, ibi a Plauto Terentioque servatae sunt; sed ante consonantes etiamsi „horunc“ et „harunc“ pronuntiari aliquo modo poterant, tamen multo commodiores erant formae „horum harum“, quare, quamquam Plautus illas non prorsus sprevit, tamen has magis amavit; Terentii vero aetate lingua iam eo erat progressa, ut duriores formas iam prorsus abiecisset. Huius rei ut prorsus similem commemorem, quae, quantum video, nondum est observata, cum apud Plautum praeter formas „illum illam“ etiam nonnun quam formae „illunc illanc“ reperiantur, apud Terentium harum formarum ne unum quidem exstat exemplum. Quod autem in „hanc hunc“ „c“ semper servavit lingua Latina, accentus mutilationem arcuit, sed qua est lingua inconstantia ex formis „illim istim“ et „illinc istinc“ retinuit „istinc“ et „illinc“. Ceterum Plautus potest ille quidem etiam praeter hos sex locos nonnullis „horunc harunc“ scripsisse, ubi nunc „horum harum“ legimus, sed cum omne nobis desit instrumentum ad cognoscendum, ubi formae „horunc harunc“ sint mutilatae, a mutationibus abstinendum est.

Denique unum paucis monere volo. Ubi formis pronominis „hic“ adnexa est particula interrogativa „ne“, non modo „c“ verum etiam „e“ constanter servatum est et in singularis et in pluralis numeri formis omnibus, ita tamen, ut „e“ in „i“ transierit[1]); sic

[1]) Neue l. c. 2². 205 exempla magis aliquot harum formarum attulit, quam plenam et absolutam omnium quibus hae formae leguntur locorum dedit collectionem.

hicine (nom. sing.) Epid. 4. 1. 15. — Mil. 61 — Persa 544—830—845—846 — haecine (fem. sing.): Amph. 1. 1. 206=362 — Epid. 4. 2. 5—5. 1. 15 — Merc. 753 — Most. 508 — Persa 545 — Rud. 4. 4. 99=1143 — hocine (neutr.) Amph. 1. 3. 16=514 — Asin. 1. 2. 2=128 — 3. 1. 6=508 — Bacch. 1090 — Curc. 1. 3. 44=200, ubi Luchs Hermes 8. 116 „potine" proponit — Merc. 356. — Most. 10—27 — Truc. 2. 6. 56 — huncine: Ps. 202 — Truc. 5. 41. hancine: Men. 1139 — Mil. 626 — Rud. 1. 3. 4 et 5=188 sq. — hocine (abl.): Bacch. 447 — Curc. 5. 3. 17=695 — Most. 26 — Truc. 5. 67 — hicine (adv.): Cist. 1. 1. 21 — 4. 2. 80 — Merc. 602 — Mil. 181 — Trin. 1079 — Truc. 2. 4. 8 — Vidul. II. 3 — hucine: Aul. 2. 5. 9 — Stich. 621 — etiam semper sicine: Asin. 1. 2. 1=127 — Cist. 1. 1. 115 — 2. 3. 38 — Curc. 4. 4. 33=589 — Merc. 158 — Ps. 320—1246 — Rud. 1. 4. 31=251 — 3. 6. 46=884 — Persa 42 — haecine (neutr. pl.): Asin. 1. 3. 73=226 — Epid. 1. 1. 69 — Most. 25 — haecine (fem. pl.): Poen. 5. 3. 47 — hascine: Trin. 186: hascine propter res. Itemque Terentius semper dixit: hicine, haecine, hocine, huncine, hancine, hicine (adv.), sicine, nuncine, haecine (neutr. pl.), haecine (fem. pl.): Phorm. 5. 9. 23 — hiscine: Hec. 1. 1. 13 — hoscine: Ad. 4. 7. 40. Sed quid velit Dziatzko, qui in praeclara Phormionis editione ad v. 77 adnotat: Das von F. Schmidt nachgewiesene Gesetz, dass Terenz die Pluralformen von hic vor Vocalen stets ohne ce, c bilde, vor Vocalen und h dagegen mit ce, c, hat doch nicht unbedingte Gültigkeit, wie haecine v. 1012 [potuit addere: und hiscine Hec. 1. 1. 13 und hoscine Ad. 4. 7. 40] beweist; non satis intellego. Si nihil aliud vult nisi hoc: me dixisse Terentium ante cons. semper usum esse forma „hae" [item „his" et „hos"], in „haecine" vero [et in „hiscine, hoscine"] ante „ne", ergo ante consonantem, apparere non „hae [his, hos]", sed „haeci" i. e. „haece [hisce, hosce]", rectissime sane dicit, sed meam regulam ne minime quidem infringit, quippe cum dicens *ante cons.* Terentium solis formis „hae his hos" usum esse intellegi voluerim: ante vocabulum quod incipit a consonanti, itaque cum id quidem asseverarim Terentium dicere non potuisse: „hisce ne noceat, hosce ne laedat", de his autem formis,

in quibus non *duo* habemus vocabula, „hae his hos“ et „ne“, sed pronomen „hic“ cum particula interrogatiava „ne“ in *unum* vocabulum coiit, omnino non dixerim; sin Dz. dicere vult formam „haecine“ demonstrare etiam ante vocabula quorum prima littera est consonans „haec“ Terentium posuisse — quae videtur eius sententia esse — aperte errat, nam primum quidem in forma „haecine“ non „haec“ sed „haeci“ i. e. „haece“ praecedit consonantem, „haece“ vero ante vocabula quae initium capiunt a consonanti Terentium umquam usurpasse nemo affirmare poterit; deinde eodem modo ex formis „hoscine, hiscine“ ei concludendum est, „Terentium ante voces quae incipiunt a consonanti „hosce, hisce“ scripsisse, quod manifesto falsum est. — Quam ob causam autem in „hicine, haecine, hiscine, hascine cet.“ plenae formae servatae sint, patet; in medio enim vocabulo vocalis e vel i exturbandae plane nulla erat causa[1]).

Denique de forma „huiusce“ pauca addere volo. Müller Nachträge 130, qui rectissime formas „huice[2]), hunce, hance, hoce, hace, haece“ damnavit, formam „huiusce“ damnare veritus est ob eam potissimum causam, quod hac forma hiatus interdum tolli potest. Invenitur autem forma „huiusce“ in libris uno solo loco in viginti fabulis Plautinis Poen. 5. 4. 87, praeterea Capt. prol. 10 quem locum hic missum facere possum, non quod recte ab editoribus „huius“ suppositum esse censeam, sed quia prologus non est Plautinus. Sed antequam de illo unico loco accuratius meam sententiam exponam, mihi libet eos locos percensere, quibus „huiusce“ ab editoribus Plauto obstrusum est. Muellerus l. c. hos affert, quibus coniectura „huiusce“ in Plautum aut illatum est aut inferri potest: Amph. prol. 96: Dum huius[ce] argumentum eloquar comoediae.
(Fl. argumentum huius)

---

[1]) Similiter „hocedie“ Plautus etiamtum dixit, quamquam „hoce“ iam numquam usurpavit.

[2]) Num Muellerus recte negaverit „huic“ et „quoi“ duabus syllabis pronuntiari posse, dubitari potest.

Poen. prol. 83: Set illi patruo huius[ce] qui vivit senex.
120: Is illi Poeno huius[ce] patruo hospes fuit.
Amph. 1. 2. 24 = 486: Set Alcumenae huius[ce] honoris gratia (Fl. honoris huius). His quattuor locis „huiusce" scriptum est nullam aliam ob causam, nisi ut hiatus in caesura penthememeri versuum senariorum iambicorum tolleretur, qui num omnino radicitus sit exstirpandus, equidem valde dubito. Neque hiatus in diaeresi trochaici versus septenarii Merc. 97: Quasi tu numquam quicquam adsimile huius facti reperies — mihi offensionem praebet, quare omnibus mutationibus, quas Muellerus multas ut solet proponit („consimile" vel „quasi si" vel alia multa) cum R. nos supersedere posse arbitror. Neque Capt. 2. 2. 99 = 349 mihi molestias creat: Ne vereare meo periculo huius ego experiar fide —, quia non assentior eis qui „periculo" in medio versu ferri non posse opinantur. cf. Spengel T. Maccius Plautus p. 181 sq. — Deinde Amph. 1. 1. 109 = 266: Et enimvero quoniam formam cepi huius in me et statum (Fl. huius cepi) — potest etiam facilius „med" scribi. Eadem forma usus R. etiam Men. 1071 sanare studuit:

Ego quidem huius servos sum, sed med esse huius credidi.

ubi Bergkius: huiusce, Fl. huius me esse — proponit, Muellerus etiam de „me huius esse" cogitari posse dicit. Forma „ted" etiam Rud. 4. 4. 46=1090: Unum te obsecro, ut ted huius commiserescat

mulieris

in integrum restituit. Tum versus, qui est in
Merc. 514: Oratio edepol pluris est huius, quam quanti haec

empta est.,

non est sollicitandus, quia, quod R. dicit pro „haec" saltem „ea" exspectari (quare „haec" delevit et „huius[ce]" scripsit), num verum sit, iam Muellerus iure dubitavit.

Denique Poen. 5. 4. 76: Quoque modo huius filias apud vos habetis servas — qui cum R. putant Plautum in ablativis „d" etiam satis saepe posuisse „modod" scribere possunt, Muellerus collatis v. 86 et 91. huius [ambas] filias proponit.

Etiam praeter hos locos a Muellero allatos interdum „huiusce" coniecerunt editores, velut Geppertus, qui omnino huiusmodi formas

REESE LIBRARY OF THE UNIVERSITY

mirum quantum adamat, et qui etiam „illice, istorunc“, quin etiam „eiusce“ coniectando efficere veritus non est, e. c. Poen. 1. 2. 175 sqq.:

Huius mel, huius cor, huius labellum, huius lingua, huius[ce] sávium,
Huius delicia, huiús[ce] salus amoéna, huius festivitas,
Huius colustra, huiús[ce] studium, huiús dulciculus cáseus.

Hic totus locus vitiis abundans quomodo restituendus sit, in excursu II. disseram, hic sufficit dicere duobus prioribus versibus prorsus nullam necessitatem esse „huiusce“ inferendi, nam quidni legamus:

Huius mel, huius cor, huius labellum, huius lingua, huius sávium
Huius delicia, huiús salus amoéna, huius festivitas,

et tertii versus in mss. plane aliam esse speciem.

Ita cum sint comparati omnes hi loci, tantum abest, ut his locis quisquam uti possit ad demonstrándum Plautum formam „huiusce“ usurpasse, ut etiamsi hoc demonstratum esset certis codicum testimoniis, tamen hanc formam his locis scripsisse non crederemus. — Iam igitur accedamus ad illum unicum locum quo „huiusce“ codicum scripturis nititur Poen. 5. 4. 87! Hocine loco „huiusce“ feramus? Minime! Nam omnes probabilitatis leges nos vetant aliter atque sic statuere: Cum Plautus gen. sing. pronominis „hic“ multo saepius quam centiens usurparit (ipse locos collegi et numeravi), si omnino forma „huiusce“ usus est, sat saepe ea usum esse necesse est. Iam vero „huiusce“ uno loco in codicibus legitur, neque licet conicere a Plauto multo saepius scriptum esse, sed semper in „huius“ pessumdatum, quia „hisce, hosce, hasce“ longe plurimis locis, quinque fere partibus omnium locorum, sunt servata. Ex his propositionibus cum necessitate facienda est conclusio: Ergo Plautus numquam „huiusce“ usurpavit.

Verum iam postquam cognovimus illo versu „huiusce“ a Plauto scriptum esse non posse, accuratius si illum unicum locum inspiciemus, etiam aliis de causis nobis persuadebimus „huiusce“ Plautinum non esse. Etenim postquam Agorastocles v. 74 dixit

Adelphasio et Anterastili: hic (Hanno) patruos meus est, et vos estis Hannonis filiae, et v. 79 Hannonem patruom vocavit itemque iam autea v. 56 praesentibus puellis, v. 86 Hanno hoc confirmat verbis: Vos meae estis ambae filiae atque hic est cognatus voster. Haec plane „sufficiunt, additis autem verbis „huiusce fratris filius Agorastocles", postquam ter Agorastocles Hannonem patruom vocavit, quartum exponi, qualis necessitudo inter Hannonem et Agorastoclem intercedat, prorsus superfluum est, nisi forte senex nomen fratris eloquebatur: „*Iachonis* fratris filius"; etiam nomen Agorastoclis, quod puellae dudum norunt, appellare supervacaneum est, atque cum etiam „amabo" sine ullo sententiae detrimento deesse possit, non dubitabimus totum versum ut spurium damnare. Ac si cui mirum videatur multo post Plauti aetatem „huiusce" illatum esse, is sibi in memoriam revocet velim posterioribus temporibus apud Sallustium, Ciceronem, Livium, postea cum „hisce, hasce, hosce" in usu esse iam desierant, „huiusce" non inusitatum fuisse, unde etiam explicatur, quod auctor prologi Captivorum hac forma usus est.

Summa igitur totius disputationis haec est: Plauti temporibus in sermone quotidiano „e" in omnibus casibus pronominis „hic" vel „hice" deciderat, itaque in singulari numero Plautus semper dixit: nom.: hic haec hoc, dat.: huic, acc: hunc hanc hoc, abl.: hoc hac hoc, nom. pl.: haec (fem.) haec (neutr.); deinde in eis formis quae dempto „e" in „sc" exibant propter insuavem et duram pronuntiationem etiam „c" abiectum est, nisi quod ante vocabula, quae a vocali vel h incipiunt formae „hiscè (nom.), hisce (dat. abl.), hosce, hasce" vel fortasse „hisc, hisc, hosc, hasc" servatae sunt, genetivo autem sing. etiam ante vocales „ce" detractum est propter nimiam longitudinem — neque enim patitur lingua trita vocabula nimis longa esse, sed circumcidendo et contrahendo ea decurtare solet —, porro „horunc harunc" ante vocales et h semper scripsit Plautus, ante cons. vero quamquam has formas non prorsus spre-

vit, tamen commodiores formas „horum harum" praetulit. Denique in compositione cum particula interrogativa „ne" plenae formae remanserunt, sed „e" in „i" transiit.[1])

EXCURSUS I.

Tabellae et tabulae.

Voces quae sunt tabulae et tabellae in editionibus Plautinis saepius eodem sensu videmus positas, tamen accurata omnium quibus inveniuntur locorum collectio eas numquam idem valere docebit.

Vox tabellarum enim ubicunque apud Plautum legitur aut — quae est propria eius vis — partem significat epistulae, lignum cera oblitum, plerumque vero etiam litteras cerae inscriptas simul complectitur et idem valet atque epistula, litterae. Exempla haec sunt:

Bacch. 714: Nunc tu abi intro, Pistoclere, ad Bacchidem atque ecfer cito —
Quid? — Stilum ceram tabellas linum.
728: Cape stilum propere et tabellas tu has tibi.
753: Aequom dicis. — Cedo tabellas. — Accipe.
768: Adambulabo ad ostium, ut quando exeat
Extemplo advenienti ei tabellas dem in manum.
808: Nullus homo dicit: hae tabellae te arguont.
811: Egomet tabellas tetuli, ut vincirer: sine.
935: Nam ego has tabellas obsignatas, consignatas quas fero,
936: Non sunt tabellae, sed equos quem misere Achivi ligneum.

[1]) Post Plauti Terentiique aetatem formas in „ce" exeuntes rursus in usum revocatos esse, fortasse per L. Accium, notum est. cf. R. mon. epigr. tria p. 16 et 33, Corssen. Ausspr. II. 603.

Bacch. 960: Post ubi tabellas ad senem tetuli, ibi occidi Troilum.
984: Tacitus conscripsit tabellas: obsignatas has dedit mi.
Curc. 3. 41 = 411: Mandatumst mihi,
Ut has tabellas ad eum ferrem.
3. 51 = 421: Salutem iussit Therapontigonus dicere
Et has tabellas dare me iussit.
3. 62 = 432: Tecum oro et quaeso, qui has tabellas adferet
Tibi, ut ei detur quam istic emi virginem.
4. 3. 13 = 545: Qui has tabellas obsignatas attulit.
4. 3. 19 = 551: Stultior stulto fuisti, qui his tabellis crederes.
Epid. 2. 2. 66: hodie allatae sunt tabellae.
Mil. 38: Habes? — Tabellas vis rogare? habeo et stilum.
73: Ut in tabellis quos consignavi hic heri
Latrones, ibus dinumerem stipendium.
130: Cepi tabellas, consignavi clanculum.
Persa 247: Toxilo has fero tabellas tuo ero.
459: Sagaristio, heus, exi atque educe virginem,
Et istas tabellas, quas consignavi tibi.
497: Tabellas tene has, pellege.
511: Qui tibi tabellas adfert. cura quae is volet.
518: Sed ut occepisti, ex tabellis nosce rem.
520: Iste, qui tabellas adfert, adduxit simul
Forma expetundam liberalem mulierem.
544: Hospes ille qui has tabellas attulit — Hicinest?
— Hic est.
Ps. 9: Quid est quod tu exanimatus iam hos multos dies
Gestas tabellas tecum, eas lacrumis lavis?
20: Cape has tabellas: tute hinc narrato tibi,
Quae me miseria et cura contabefacit.
27: Cur inclementer dicis lepidis litteris,
Lepidis tabellis, lepida conscriptis manu?
31: Lege, vel tabellas redde. — Immo enim pellegam.
35: Tuam amicam video, Calidore. — Ubi east, obsecro? —
Eccam in tabellis porrectam, in cera cubat.

Ps. 40: Tace, dum tabellas pellego. — Ergo quin legis?
49: Recita modo, ex tabellis iam faxo scies.

Vox autem quae est tabulae numquam idem significat atque epistula litterae, nam pauci ei loci, quibus hoc sensu sive in codicibus sive in editionibus invenitur, corrupti sunt; sunt autem hi: Curc. 347, 365, 369, 545 — Bacch. 787 — Persa 195; e quibus primum percensebo eos locos, quibus tabulae in codicibus inest, quattuor Curculionis locos:

Curc. 2. 3. 67 = 346: atque ei mandavi, qui anulo
Meo tabellas obsignatas attulisset, ut daret
Operam, ut mulierem a lenone cum auro et veste abduceret.

tabulas B, tabellas Pall. omnes; tabellas etiam versus requirit.

2. 3. 86 = 365: Eamus nunc intro, ut tabellas consignemus. — Num moror?

tabulas B, tabellas Pall. omnes, hic quoque versus, utra forma vera sit, decernit. Etiam tertio huius scenae loco v. 369 = 2. 3. 90:

Tute tabellas consignato, hic ministrabit, ego edam.

ubi codicum eadem fere est ratio, Pareo enim teste in B „tabellas" correctura factum est ex „tabulas", in ceteris mss. „tabellas" scriptum est, sine dubio „tabellas" recipiendum est.

Curc. 4. 3. 11 = 543: Scire volo quoi reddidisti. — Lusco liberto tuo,
Is Summanum se vocari dixit; ei reddidi,
Qui has tabellas obsignatas attulit. — Quas tu mihi,
Quos tu mihi luscos libertos, quos Summanos somnias?

In libris post „quas tu mihi" legitur „tabulas", sed cum versus: Qui has tabellas obsignatas attulit — Quas tu mihi — iam sit perfectus, huic versui „tabulas" adiungi nequit, neque proximo versui praeponi potest, quoniam is quoque est absolutus, unde patet „tabulas" glossema esse additum ad explicanda verba „Quas tu mihi". Ad quae verba, quamquam repetere solet Plautus in talibus interrogationibus substantivum, tamen non videtur necessarium esse versum addere huiusmodi: Allatas tibi tabellas obsignatas sómnias —, cum ex eis quaeproxime antecedunt: Qui has tabellas obsignatas attulit — facile cogitando ad „Quas tu mihi" „tabellas" suppleri possit.

Ex coniectura „tabulas“ duobus locis in Plautum illatum est: Persa 195: Abi modo. — Ego laudabis faxo. — Set has tabellas, Paegnium,

Ipsi Lemniseleni fac des, et quae iussi nuntiato.

R. coniecit: Set [tu] has tabulas; sed hoc loco si quid mutandum est, multo lenior est coniectura: Et has tabellas, quam etiam Muellerus p. 393 proponit. Toxilus dicit: „abi modo“ et interposita. Paegnii verba nihil curans pergit: et has tabellas fac des.
Bacch. 787: Nunc has tabellas ferre me iussit tibi.
hasce tabellas: libri, quod metricam ob causam ferri nequit. Hermannus et R. scribunt: „hasce tabulas“, in qua lectione non modo vocis tabularum, sed etiam formae „hasce“ usum habes plane singularem, quare multo praestat Fleckeiseni coniectura „has tabellas“ quae omnes offensiones simplicissime removet.

Quae cum ita sint intellegimus apud Plautum tabulas nunquam significare epistulam, si vero non de epistula, de litteris sermo est, sed de tabulis argentariis, tabulis pictis, aliis tabulis agitur, vocem tabularum usurpat poëta, numquam vocem tabellarum: Rud. prol. 21 — Ps. 401 — Truc. 1. 1. 52, et singularis numerus invenitur: Bacch. 441 — Asin. 4. 1. 18=763 — Men. 143 cf. Ter. Eun. 3. 5. 36 (tabella [sing.] apud Plautum non exstat).

Alii scriptores quomodo vocibus quae sunt tabulae et tabellae utantur, hic exponere longum est, id unum commemoro, in inscriptione eiusdem temporis, quo Plautus vixit et scripsit, prorsus eandem diversitatem, quam apud Plautum inter eas intercedere exposui, conspici, in epistula enim de Bacanalibus C. I. L. I. 196 v. 26 legitur: atque utei hoce in *tabolam* inceideretis; paullo post vv. 28 sqq.: atque utei ea Bacanalia sei qua sunt in diebus X quibus vobeis *tabelai* (i. e. litterae, epistula) datai erunt faciatis utei dismota sient.

EXCURSUS II.

Poen. 1. 2. 174 sqq.

Sic enim dicerés, sceleste: huius voluptas, te óbsecro,
Huius deliciae, huiús salus, huius vita, huius festivitas,
Huius mel, huius cor, huius ocellus, huius labellum, huius sávium,
Huius colustra, huiús dulciculus cáseus, mastigia:
Omnia illa quaé dicebas túa esse memorarés mea.

Hos versus puto esse Plautinos aut Plautinorum non multum dissimiles. In mss. autem vv. 175—178 multimodis depravati sunt. Primum enim v. 175 sic traditur: Huius mel huius cor huius labellum huius lingua huius savium —, sed „huius lingua" rectum esse nequit, nam cum Agorastocles dicat v. 179: Omnia illa quae dicebas tua esse memorares mea, Milphio vero virginem non appellaverit suam linguam vv. 152—154, dicere non potest adulescens: Non diceres: mea lingua, sed sic diceres: huius lingua: accedit quod lingua est permirum blandimentum, quo numquam quisquam Romanus amatam mulierem videtur appellasse, certe neque apud Plautum ullo alio loco invenitur neque apud alium scriptorem Romanum. At etiam v. 172 legitur: Etiam ocellum addam et labellum et linguam, sed ut totus hic locus refertus est vitiis, hic quoque mendum latet; quod non difficile est deprehendere, simulatque in A esse vidimus: et labellum linguam, unde una littera „u" dempta Plautina manus restituitur: et labellum lingam (fut. verbi: lingo) (v. 170 utrum cum Bothio scribendum sit: Em mel em cor em colustram em salutem em savium, an quomodo de illo versu iudicandum sit, dubitari potest). Sed ut saepe, si qui error ortus est, corruptela quasi pestis latius vagatur, hic quoque primum leve mendum aliorum eorumque gravissimorum vitiorum fuit causa. Etenim quia iam legebatur v. 172: et labellum et linguam etiam, v. 175 post „huius labellum" „huius linguam" insertum est, quo facto aliam teneram allocutionem necesse fuit expelli; atque cum et v. 154 et v. 172 vocem quae est labellum

praecedat „ocellus“, „huius ocellus“ ante „huius labellum“ excidisse cognoscimus. V. 177 in A hic est: Huius cor huius studium huius dulciculus caseus savium mastigia; in B duo versus sunt:

Huius colustra huius dulciculus caseus mastigia
Huius cor huius studium huius savium mastigia.

Versus vel potius verba — neque enim haec verba efficiunt versum — „huius cor huius studium huius savium mastigia“ offensionibus redundant; primum enim „huius studium“ haud dubie falsum est; Nam Milphio Adelphasium vv. 152 sqq. sic affatus est: Mea voluptas, meae deliciae, mea vita, mea amoenitas, meus ocellus, meum labellum, e. q. s.; ob haec dicta Agorastocles eum castigat et dicit v. 173: Sicin ego te orare iussi?, et Milphioni interroganti: Quomodo ergo orem? — respondet: Omnia illa blandimenta, quae tu tuo nomine mulieri impertivisti, meo nomine ei impertires, non diceres eam tuam voluptatem, sed huius voluptatem, non tuas delicias, sed huius delicias, non tuum ocellum, sed huius ocellum cet; iam apparet hic locum non esse verbis „huius studium“, namque quia Milphio virginem non dixit suum studium, Agorastocles dicere nequit: non ita diceres, ut dixisti, sed diceres: huius studium, neque enim adulescens dicit, etiam alia blandimenta ei addenda fuisse, sed nihil dicit nisi: ea quae tu tuo nomine illi dixisti, ea meo nomine diceres (v. 179: Omnia illa quae dicebas tua esse memorares mea). Ergo „huius studium“ non magis ferri potest quam „huius lingua“, quocum etiam hoc commune est, quod ne studium quidem ullo alio loco Plautino appellatur amata mulier; videtur autem „huius studium“ nihil esse nisi dittographia eorum quae sequuntur: „huius savium“. Praeterea vero neque „huius cor“ neque „huius savium“ hoc loco recte sese habere possunt, quia iam in v. 175 insunt, neque quicquam est, cur illic non recte tradita esse putemus. Iam reliqua sunt: mastigia; praeterea in A supra lineam: dulciculus caseus, in B versus: Huius colustra huius dulciculus caseus mastigia; atque hunc versum Plautum revera scripsisse censeo his de causis. Primum maledicto „mastigia“ increpatio apte finitur, atque eo minus licet cum

Gepperto hoc vocabulum delere, quia, si non scriptum erat, quomodo in codices inrepere potuerit, non intellegitur. Praecedunt hoc vocabulum in B: huius colustra huius dulciculus caseus, „dulciculus caseus“ etiam in A suprascriptum est, atque cum etiam Milphionis invocatio Adelphasii claudatur verbis „mea colustra, meus molliculus caseus“, inde admodum probabile fit, etiam hoc enuntiatum finiri verbis „huius colustra, huius dulciculus caseus“, denique ne haec verba in suspicionem vocemus, etiam ea res prohibet, quod interpolator non „dulciculus caseus“ inseruisset, sed ut v. 154: molliculus caseus.

Iam superest v. 176 qui in B hic est:

Huius colustra huius salus amoena huius festivitas

qui in A Gepperto teste incipit: Huius del..... huius salus. Initium quale in A est „huius deliciae“ praeferendum esse patet, quia aperte in B „huius colustra“ ex versu proximo huc illatum est. Tum adiectivum „amoena“, quod neque v. 13 ad „mea salus“ additum est, et hic concinnitatem plane turbat, quia nulli alii substantivo appositum est adiectivum excepto ultimo, cuius condicio est prorsus singularis; denique quod salus quomodo apte amoena dici possit, me quidem fugit; expungendum est: quo deleto inserendum est „huius vita“; nam cum ex duodecim appellationibus, quae vv. 152 — 154 continentur, iam undecim in vv. 174 — 177 habeamus — appellationi quae est amoenitas (v. 152) respondet v. 176 synonymum festivitas, quod etiam Cas. 1. 1. 46 invenitur, ut apud „caseus“ adiectivum variat poeta (v. 154 molliculus v. 177: dulciculus) consulto in ea re, quod non nimis anxius est in repetendis vocabulis, rerum veritatem imitatus — etiam duodecimam quin Plautus posuerit, dubium esse nequit. Omnia illa vocabula, quibus Milphio vv. 152—154, usus est vv. 174—177 repetita esse etiam Agorastoclis verba confirmant, qui hos versus 174 — 177 complexus dicit v. 178: *Omnia illa* quae dicebas tua esse memorares mea. Denique cum omnes blandas appellationes quibus Milphio usus est Agorastocles repetat, exspectamus, ut etiam ordine eodem fere eas repetat, quamquam nimiam severitatem in hac re non exspectamus; atque cum revera et hic et illic initium

fiat ab „voluptas“ et desinatur in „colustra, dulciculus“ vel „molliculus caseus“, etiam in mediis hic non nimis diversum ordinem secutum esse poetam atque vv. 152 — 154 verisimile fit; quare versus 175 et 176 transposui, nam transpositis versibus hic vocem quae est voluptas sequuntur: „deliciae, salus, vita, festivitas“, ut v. 152: „deliciae, vita, amoenitas“, ad quae additum est „salus“, quia vocabulo quod est voluptas iam v. 174 praesumpto unius appellationis locus vacuus erat; deinde v. 175 sequuntur eae appellationes quae in v. 153 reliquae sunt cum primis versus 154; denique clauditur hic ut illic blandimentis quae sunt colustra et dulciculus vel molliculus caseus.

In eis quae sequuntur v. 181 fortasse eiciendus est. Nam postquam Agorastocles dixit: Sic enim diceres, sceleste: huius voluptas te obsecro, huius deliciae e. q. s., servus obsequiosus virginem statim ita adloquitur, ut erus modo ei praescripsit:

Obsecro hercle te, voluptas huius atque odium meum,
Oculus huius, lippitudo mea, mel huius, fel meum,

sed in versu interposito:

Huius amica mammeata, mea inimica et malevola,

offendimus, quia Agorastocles dixit ille quidem: diceres eam huius voluptatem, huius ocellum, huius mel; nusquam dixit: diceres eam huius amicam mammeatam: atque iam in externa huius versus specie aliquod indicium inest eum non huius loci esse, neque enim consentit hoc membrum cum ceteris, quod, cum in ceteris „huius“ et „meus“ postposita sint substantivis, in hoc antecedunt. Videtur autem venisse versus in hunc locum per lectorem, qui hunc versum aliunde desumptum hic ascripsit propter sententiae similitudinem.

CAPUT ALTERUM.

Formae pluralis numeri pronominum ille et iste.

Quo fusius de pronomine „hic“ egi, eo brevius pronominum „ille“ et „iste“ pluralis numeri formas absolvere possum, quia in multis rebus usus formarum horum pronominum cum usu formarum pronominis „hic“ consentit. Ac primum quidem formas in ce, c exeuntes monstrare res hominesque in scena praesentes, numquam absentes, aut maiorem vim habere quam alteras ne in his quidem pronominibus iure affirmari potest. Refellitur enim haec opinio versu qui est in

Sticho 130: Nam aut olim, nisi tibi placebant (sc. nostri mariti),
non datas oportuit (sc. nos illis),
Aut nunc non aequomst abduci (sc. nos), pater, *illisce* absentibus.,

ubi neque illi adsunt, neque „illisce“ cum vi effertur et, ut omittam alios locos minus certos, permultis locis „istaec, illaec (neutr. plur.)“ legitur, quamquam neque de rebus, quae oculis videri et digitis monstrari possunt, sermo est, neque ullo modo maius pondus inest in pronominibus. Postremo ne illa quidem opinio, apud „aedes“ solas formas in ce, c desinentes Plautum usurpasse, recta est, quia non modo codices plerumque contrarias formas tradunt, sed etiam nonnullis locis versus formas quae illo ce vel c carent unice rectas esse confirmat, velut

Most. 798 et 800: Ut *ístas* (sc. aedes) remittat sibi. — Haút hercle
opinor.

Sibi quisque rúri metit, si male émptae
Forént, nobis *ístas* redhibére haut licéret.

Verum id unum momentum facit, qualis littera sequatur; etenim e nom. masc., dat., abl., acc. masc. et fem. formis, si sequitur vox quae incipit a consonanti littera, semper formis „illi, illis, illos, illas, isti, istis, istos, istas" usus est; sin vox quae initium habet a vocali vel h, usurpavit ille quidem formas longiores, sed plerumque etiam ante vocales et h formas breviores posuit; neque vero quod Plautus in pluralis numeri formis horum pronominum duplices formas scripsit, cum e pronominis „hic" formis solas in „ce" exeuntes admiserit, magis mirum est, quam quod idem poeta in singulari numero, cum semper „hic, hunc cet." dixerit, et „ille" et „illic", et „iste" et „istic", et „istum" et „istunc" cet. usurpavit. Ceterum longiorum formarum, quae iam apud Plautum non nimis saepe reperiuntur, apud Terentium iam nullum exstat exemplum.

Iam ad singula exempla afferenda me convertens eos omnes locos, quibus hi casus praecedunt vocabula quae incipiunt a consonanti, enumerare supersedeo, quia nullo neque librariorum neglegentia neque editorum temeritas formas cum ce Plauto obstrusit; nisi quod de uno loco sententiam meam proferam, quo „illis" non recte mihi mutatum esse videtur ab hominibus doctis, dico versum qui est in

Bacch. 142: Praesentibus illis paedagogus una ut siet.,

in quo versu restituendo summam eruditionem et ingenii acumen probaverunt homines docti, palmam doctrinae et sagacitatis sine dubio fert Scaligerus, qui hanc commentus est coniecturam:

Praesente ibus una paedagogus ut siet.

Verum speciosior quam verior est haec coniectura, neque enim umquam Plautus hac structura „praesente ibus" usus est, sed dixit: illis praesentibus, illisce absentibus Bacch. 301, Stich. 131 — neque forma ıbus, sed ıbus cf. Spengelium ad Truc. 1. 2. 14; quare omnium pulcherrimum antiquae dictionis exemplum quin rursus e Plauto expellam, facere non possum; neque vero omnino opus est e longinquo emendationem et medicinam petere, cum rectum in propinquo sit; neque enim quicquam in libris erratum est nisi

quod „una“, quod, cum v. 140 omissum esset, margini ascriptum erat, falso huic versui 142 insertum est. Scripsit igitur Plautus:

Praesentibus illis paedagogus ut siet.

In quam emendationem quod, quamvis facilis sit inventu, nondum inciderunt editores, eo magis miror, quia etiam aliae nos cogunt causae „una“ tollere. Nam primum quidem verba: „praesentibus illis una“ molestum efficiunt pleonasmum; deinde vero bene quidem dici potest: praesente te aliquid facio, praesente te aliquid fit, etiam: praesente te modestus sum, sed vix umquam quisquam Romanus dixit: Praesente te sum vel adsum; tertium propter sententiarum nexum „una“ eiecto opus est, quia haec sententia requiritur: Lydum te voco, non paedagogum, quoniam illis praesentibus te paedagogum esse, paedagogum te gerere non decet; „siet“ autem, non „sies“ Pistoclerus dicit Lydum imitatus, qui tertia persona usus est v. 138: „vocat“.

Ante vocales et h formarum quae litteris ce terminantur haec sunt exempla in mss.

1) Nom. masc. gen. *illisce:*

Most. 510: Perii illisce hodie hanc conturbabunt fabulam.

per illisce BCDa, peri illisce Dc.

Most. 935: Quae illaec res est? Quid illisce homines quaerunt apud aedis meas?

illis chomines CD, illic homines FZ et B, sed „c“ e corr.

„Illisce homines“ etiam duobus aliis locis summa cum probabilitate restitui posse mihi videtur:

Men. 997: Quid hoc est negoti? quid illisce homines ad me currunt, opsecro?

Quo loco „illic“ in codicibus legitur, verum cum adverbium locale non quadrare dilucide appareat, sed nom. plur. necessarius sit, „illic“ nom. pl. esse posse cogitarunt recentiores homines docti cf. Lorenz ad Most. 264 L.=274 R., Neue 2^2. 212, etiam R. idem censere videtur, qui Most. 1098 pro „illi“ hiatus tollendi causa scripsit „illic“. Tamen huius formae „illic“, nisi quis hoc loco uti velit, nullum ex ullo scriptore Latino afferri potest exemplum; atque quis tandem, qui videt etiam Most. 935 in BFZ „illic homines“ er-

rori librariorum tribuendum esse, qui meminit aliorum haud paucorum exemplorum formae „hisce“ in „hic“ mutilatae, adeo pertinax esse velit, quin hoc quoque loco „illic homines“ ut Most. 935 in BFZ ex „illisce“ vel „illisc homines“ corruptum esse mihi concedat!

Persa 844: Cérto illi[sce] hominés mihi nescio quíd malĭ consulúnt quod faciant.

„illi“ mss. Ego „illisce“ scribo, quia ceteris duobus locis, quibus nom. pl. pronominis „ille“ vel „illic“ cum „homines“ coniunctum est, Plautum „illisce homines“ scripsisse modo vidimus, quia hoc tertio loco forma „illisce“ versum in integrum restituit, quia etiam in nom. sing. poetam semper „illic homo“, numquam „ille homo“ scripsisse doctus et ingeniosus iuvenis Augustus Luchs Hermes 6. 278 sqq. demonstravit, denique quia prorsus simile mendum („hi“ pro „hisce“) Amph. 3. 3. 19=974 deprehendimus.

Etiam aliis versibus „illisce“ pro „illi“ substituendo medela parari potest, quamquam nullo horum locorum res ita comparata est, ut „illisce“ poetam scripsisse pro certo affirmaverim: Capt. 3. 1. 21=481 Muellerus coniecit:

Neque me rident. ubi cenamus? inquam, atque illi[sce] abnuont.

idem Capt. 3. 4. 120=653: Satin me illi[sce] hodie scelesti capti ceperunt dolo?

Most. 1098: R. ad hiatum evitandum „illic“ scripsit, cui saltem „illisce“ praeferendum fuit: — Truc. 1. 2. 9 Spengelius inter alia proposuit: Dum illi[sce] agunt. Etiam Ps. 205 cogitari quidem potest de „illisce“:

Sed nímium stultus, nímium fui indóctus, ne illi[sce] aúdeant.

2. Abl. plur. *illisce:*

Stich. 131: illisce absentibus

Men. 307: Non tu in illisce aedibus Habitas.

820: Tu senex ais habitare med in illisce aedibus.

Tum in prologis non Plautinis:

Amph. prol. 97: In illisce habitat aedibus Amphitruo.

Cas. prol. 36: Is una cum patre in illisce habitat aedibus.

Poen. prol. 78: Is illic adulescens habitat in illisce aedibus.,

propter quos locos facile tibi persuadere possis etiam Poen. prol. 95, ubi eadem formula legitur, scribendum esse: in illis[ce] habitat aedibus. Sed quamquam primo obtutu magnam veritatis speciem habere haec coniectura videtur, tamen cum omnino tum maxime in prologis, qui e tot tamque diversis partibus constant, in talibus rebus aequabilitatem dicendi coniectura efficere lubricum est cf. pag. 74.

3. Abl. plur. *istisce:*

Mil. 421: Quid tibi istisce in aedibus debetur?

de quo versu vide supra p. 28 sq.

Rud. 3. 4. 40 = 745: Argentum ego pro *istisce* ambabus quoiae
erant domino dedi,
quocum conferas velim

v. 20 sq. = 725 sq.: equidem iam *istas* ambas educam foras.
Tu senex si *istas* amas, huc arido argentost opus.

Hi sunt omnes loci, quibus formae quae finiuntur litteris ce in codicibus inveniuntur; dativorum igitur „illisce, istisce", accusativorum „illosce, illasce, istosce, istasce," nominativi „istisce" nullum exstat exemplum. Tamen inde qui velit concludere has formas abhorrere a dicendi consuetudine Plautina, eum vix recte iudicare censeo, verum quod harum formarum nullum servatum est exemplum, soli casui videtur deberi.

Iam ei loci mihi sunt afferendi, quibus ante vocabula quorum prima littera est vocalis vel h formae sine ce inveniuntur; ex quibus primum ascribo nominativos; invenitur autem *illi:* Amph. (prol. 37) — 1.1.27=182 — Bacch. 302 — Cist. 5. 2. 1. — Curc. 2. 2.14=264 — Mil. 714 — Most. 884—1095 — Stich. 43—394 — Trin. 30. *isti:* Aul. 2. 5. 5 — Men. 876 — Ps. 296—1333.

Quibus locis cum „illi, isti" Plautum scripsisse non solum codices testentur, sed etiam versus confirmet, quin etiam „illis, illos, illas, istis, istos" ante vocales sint ferenda, ne minima quidem esse potest dubitatio, quamquam nonnullis locis „ce" librariorum culpa excidisse posse negari nequit. Verumtamen cum nullum habeamus instrumentum ad cognoscendum, ubi illud ce vel c exciderit, satius duco codices sequi, quam temere traditam lectionem mutare.

Legitur autem *illis:* Aul. 2. 8. 8 — Cas. 2. 8. 69 — Mil. 747 —896 — Persa 561 — Poen. 5. 3. 43 (mss. illi) — Ps. 392 — Rud. 1. 2. 64 = 152 — 2. 3. 39 = 369 — 3. 2. 44 = 658 — 3. 4. 24 = 729 — Stich. 75 (illi A) — Trin. 203.

illos: Amph. 1. 2. 8 = 470 — 5. 1. 71 = 1123 — Bacch. 1187 — Capt. 2. 3. 93 = 453 — Men. (308—)835 — Most. 467 — Ps. 1270 — Rud. 3. 6. 18 = 856 — Stich. 137—350—401.

illas: Cas. 4. 1. 20 — Epid. 2. 2. 62 (?) — Mil. 669—1109 — Poen. 4. 2. 74 et 76 — Rud. 793 = 3. 5. 14 — 3. 5. 30 = 810 — Trin. 867.

istis: Bacch. 749 — (Capt. 2. 1. 20=215 —) Curc. 39 — (Men. 622) — Rud. 3. 5. 32 = 811.

istos: Aul. 1. 1. 14 — 2. 6. 13 — Men. 436 — Most. 47 — Rud. 3. 5. 7 = 786 — Trin. 920.

istas: Bacch. 372 — Merc. 942—1000 — Most. 445—659—939 — Poen. 5. 6. 11 — 5. 7. 20 et 41 — Rud. 3. 4. (20 et) 21= (725 et) 726 — Trin. 902.

Iam si ad genetivum transimus et ante vocales et ante consonantes semper „illorum, illarum, istorum, istarum" invenimus:

illorum ante voc.: Bacch. 869 (Merc. prol. 51 R. „illorum" pro „illius" scripsit) — Rud. 2. 3. 53 = 384.

illorum ante cons.: Bacch. 409—545—1012 — Cas. 2. 8. 9 — Mil. 1350 — Most. 128—883 — Rud. prol. 66 — Trin. 204 — Truc. 1. 2. 57.

illarum ante voc.: Cas. 4. 1. 17 — Epid. 2. 2. 56 — Mil. 62 — Poen. 5. 2. 157 — ante cons.: Mil. 1047 — (Poen. prol. 104, illi in BC) Rud. 1. 2. 91 = 181.

istorum ante voc.: exemplum deest — ante cons.: Asin. 1. 3. 1 = 153 — Capt. 4. 2. 72 — 852 — Poen. 3. 2. 7 („istorunc" temere Geppertus) — Rud. 4. 4. 84 = 1128 — Trin. 333.

istarum ante voc.: Merc. 827 — ante cons.: Rud. 3. 5. 34 = 814 — Stich. 677.

Iam superest ut, de nominativi fem. et neutr. gen. formis agatur; atque si primum in pronominis „ille" formis usurpandis quamnam regulam poeta secutus sit, quaerimus; eum „illae" et „illaec",

„illa“ et „illaec“ et ante consonantes et ante vocales posuisse cognoscimus. Exempla haec sunt: *illa* ante voc.: Asin. 3. 2. 61 = 560, sed Fleck. Phil. 2. 72 videtur recte: „ille — possit“ coniecisse — Bacch. 1079 — Epid. 1. 1. 28 — (Ps. 602 —) *illa* ante cons.: Amph. 3. 2. 35 = 916 — Asin. 3. 3. 127 = 715 — Bacch. 165 — Epid. 1. 2. 35 (illas mss.) — Poen. 1. 2. 179 — Ps. 451 — 976 — *illaec* (neutr.) ante voc.: Amph. 1. 1. 260 = 416 — ante cons.: Asin. 1. 3. 44 = 196 — Mil. 1126 — Poen. 1. 2. 155 — Truc. 2. 6. 63. —

illae ante voc.: Cs. 4. 1. 11 et 17 — Merc. 816 — Rud. 3. 4. 14=719.

illaec (fem.) ante voc.: Bacch. 1154 — Etiam Bacch. 1149 necessarium est „illaec“ scribi pro „illae“, si quidem versus eo metro scriptus est quo R. arbitratur. — *illaec* (fem.) ante cons.: Curc. 3. 28 = 398: Nam illaec catapultae ad me crebro commeant. Cas. 4. 3. 6 sq: Nam quid illaec nunc tam diu intus remorantur remeligines.

8: Quasi ob industriam? quanto ego plus propero, tanto illaec minus.

v. 6: illaec mss., illae Festus; v. 7: remorantur remeligines Festus et A, ceteri codices nihil nisi: remoratur — ad v. 8 Geppertus iocose adnotat: „illaec Bothius, codd. ceteri: illa (quasi Bothius sit codex!). De A non liquet.“ Itaque cum nobis optio data sit, v. 8 utrum „illa“ in „illae“, an in „illaec“ mutare malimus, praeferemus sine dubitatione „illaec“, qua forma in versu qui proxime praecedit usus est Stalino.

Poen. 5. 3. 17: Eho an huius sunt illaec filiae? — illec P — illa et, ceteri libri. *illae* vero legitur in mss. ante cons.: Aul. 3. 5. 9 et 15 — Mil. 59—65 — Poen. 5. 5. 5 — Trin. 3 — Trin. 1002. „Nam epistulae illae mihi concenturiant metum“ non est in libris, sed: Nam epistula illa mihi concenturiat metum.

Item „istae“ et „istaec“ Plautus scripsit; *istae* ante voc.: Rud. 4. 4. 62=1106: Quid id ad vidulum attinet, servae sint istae an liberae

istaec ante voc.: Persa 498, vide infra — *istaec* ante cons. legimus: Capt. 5. 2. 16 = 969: Nugae istaec sunt.

Ps. 238: Nugae istaec sunt. istaec B, istec CF, ista hec DZ.
Etiam Cas. 2. 5. 25: Nugae sunt istae magnae — in P. est istaec.
Men. 520: Omnes in te istaec recident contumeliae.
Men. 766: Ita istaec solent quae viros subservire
Sibi postulant, dote fretae, feroces — ita haec istaec C.
Most. 274: Nam istaec veteres, quae se unguentis unctitant, interpoles — istaec Aldus, iste. cum unius litterae rasura B = iste'C, istę D.
Persa 497 sqq.: Tabellas tene has, pellege. — Hae quid ad me? — Immo ad te attinent et tua refert.
Nam ex Persia adlatae mihi sunt istaec. — Quando? — Hau dudum.
Quid istae narrant? — Perconctare ex ipsis: ipsae tibi narrabunt.
v. 498: ad me allatae modo sunt istae a meo domino BCD, sunt istaec adlatae mihi..... A, in quae litterarum spatia quadrant: ab ero meo. Qui v. 498 „istaec" ex A recipit, eius sententia eo inclinabit, ut etiam v. proximo 499 „istaec" Plautum scripsisse censeat.
Rud. 2. 7. 5 = 563: Obsecro hercle, adulescens, ubi istaec sunt quas memoras mulieres?
„Istae" legitur ante cons.: Epid. 2. 2. 40: Impluviatam ut istae faciunt vestimentis nomina. Sic Nonius et A; qui propter ceterorum codicum lectionem „istaec facimus" scribere velit „istaec (fem.) faciunt", nimis incerto innititur fundamento. — Epid. 2. 2. 45 — Men. 145 — Poen. 1. 2. 5: sat istae Hermannus; satis hae mss. — Rud. 3. 4. 47 = 752 — 1113 = 4. 4. 69 — Trin. 1080 (ste B, om. ceteri) — Truc. 2. 6. 50 — 4. 3. 27.

Fleckeisenus saepius formas traditas mutavit, sed cum causae ob quas mutavit vanae sint, etiam mutationes ipsae probari nequeunt. Scripsit enim Curc. 398: illae catapultae — Rud. 563: istae mulieres, ut Stich. 131 illis absentibus — deleto „ce", propterea quod illis locis catapultae, mulieres non sunt „sichtbare Gegenstände, auf die der redende hinweisen kann", sed ne constans quidem sibi fuit, Capt. 969 enim et Ps. 238 retinuit: Nugae

istaec sunt, quamquam nugae minime sunt „sichtbare Gegenstände, auf die der redende hinweisen kann.“ Idem scripsit contra codices Trin. 3: illaec sunt aedes — Trin. 1080: aedes istaec — opinatus apud „aedes“ Plautum solis longioribus formis usum esse; sed tribus tantum locis Plautinis formae longiores in mss. inveniuntur, bis in Menaechmis: in illisce aedibus, semel in Milite glorioso: istisce in aedibus; ceteris omnibus locis formae sine ce traduntur, atque cum Most. 798 et 800, ubi versus arbiter rem decernit, ne minima quidem dubitatio esse possit, quin poeta „istas“ scripserit, prorsus nihil est, cur eis locis, quibus per versum utraque forma ferri potest, Trin. 3: illae sunt aedes — 1080 aedes istae — 867 illas aedis — Most. 659: istas aedis — 939: istas aedis — Curc. 39: male istis (sc. aedibus) evenat — breviores formas Plautum usurpare potuisse negemus. Ceterum admodum miratus sum, quod Fl. duobus tantum locis Trin. 3 et 1080 mutavit, ceteris (Curc. 39 — Trin. 867) servavit formas traditas, neque R. Brixiusve Trin. 867 „illas aedis“ sollicitaverunt, quod utrum casui tribuendum sit an consilio editorum nescio. In universum autem de eis locis, quibus „illae istae“ in mss. praecedunt vocabula quorum prima littera est consonans, sic iudico: Potest quidem nonnumquam „c“ librariorum culpa excidisse, sed cum numquam idonea proferri possit causa, ob quam „illae, istae“ ferri non possint, nobis fatendum est, nos ubi omissum sit „c“, cognoscere non posse, quare satius duco formas traditas retinere, quam temere mutare.

Reliquum est ut de nom. et acc. pl. neutr. pronominis „iste“ formis disputem, de quibus separatim ago, quia singularis earum est ratio. Nam si quis colligit exempla horum casuum eum fugere non potest, quanta sit multitudo formae „istaec“ prae paucitate formae „ista“. „Istaec“ enim invenitur:[1])

Amph. 2. 2. 124 = 757: scio istaec facta proinde ut proloquor.
ista haec libri.

2. 2. 183 = 815: Quid ego feci, qua istaec propter dicta dicantur mihi?

[1]) Apud Neuium 2². 213 exemplorum formae „istaec“ tres fere partes desunt.

Amph. 2. 2. 203 = 833: Ut mi extra unum te mortalis nemo corpus corpore
Contigit, quo me impudicam faceret. — Vera istaec velim.
4. 2. 9 = 1029: Verbero, etiam quis ego sim me rogitas, ulmorum Acheruns?
Quem pol ego hodie ob istaec dicta faciam ferventem flagris.
4. 2. 13 = 1033: Cum cruciatu tuo istaec hodie, verna, verba funditas.
5. 1. 48 = 1100: Ita profecto sine dolore peperit. — Iam istuc gaudeo,
Utut erga me meritast. — Mitte istaec atque haec quae dicam accipe.

ubi „istaec" cum Fleck. in „ista" mutare non licet, ex eis autem coniecturis, quae excogitari possunt ad sanandum versum, verisimillima mihi videtur: Útŭt *me ergá* meritást cf. Trin. 1128: amicum erga — Capt. 2. 1. 48=245: te erga — 2. 3. 56=416: me erga — Asin. 1. 1. 5=20: med erga — Epid. 3. 3. 6: med erga — Ter. Heaut. 1. 2. 15 = se erga — 2. 3. 24: te erga.

5. 1. 53 = 1105: Nimia mira memoras, si istaec vera sunt.

Asin. 1. 3. 35 = 187: Perdidici istaec esse vera damno cum magno meo.
5. 2. 59 = 909: Ego pol vivam, et tu istaec hodie cum tuo magno malo
Invocasti.

Bacch. 62: Quid, amabo, obticuisti? — Quia istaec lepida sunt memoratui.
163: Peior magister te istaec docuit, non ego.
167: Quom istaec flagitia me celavisti et patrem.
410: Feci ego istaec itidem in adulescentia.
599: Tuo ego istaec igitur dicam illi periculo.
1018: Eadem istaec verba dudum illi dixi omnia.
1196: Mel meum, amabo, istaec fiunt.

Capt. 2. 2. 67=317: Memini ego istaec. — istoc mss. et Brix.
Capt. 2. 3. 69=429: Istaec dicta te experiri et operis et factis volo.
4. 2. 110=890: Dic, bonan fide tu mi istaec verba dixisti? — Bona.
Cas. 5. 4. 17: Feci ego istaec, quae vos dicitis.
Cist. 1. 1. 54: Equidem hercle addam operam sedulo. Sed quid tu inter istaec verba?
2. 1. 34: Non edepol tua istaec dicta nunc in auris recipio.
Curc. 2. 1. 30=245: Auférˇ istaec quaeso atque hóc responde qóud rogo.,
ubi non est cur cum Fl. mutemus „istaec“ in „ista“ et transponamus: Aufer quaeso ista.
Epid. 2. 2. 40: Impluviatam ut istaec facimus vestimentis nomina.
sic Palatini, sed rectius A cum Nonio: ut istae faciunt.
3. 4. 73: Perii hercle, si istaec vera sunt, planissume.
Men. 94: Ita istaec nimis lenta vincla sunt escaria.
375: Dixin ego istaec hic solere fieri: folia nunc cadunt.
625: Clanculum te istaec flagitia facere censebas potis?
719: Non ego istaec tua flagitia possum perpeti.
Nam med aetatem viduam vivere mavelim,
721: Quam istaec flagitia tua pati, quae tu facis.
v. 721 proscripsit Ritschelius.
733: Iam ego aperiam istaec tua flagitia.
Merc. 147: Nescio ego istaec.
477: Omnia ego istaec auscultavi ab ostio; omnem rem scio.
577: Scio pol te amare, quom istaec praemonstras mihi.
764: Palam istaec fiunt te me odisse.
Mil. 31: Nolo istaec hic nunc.
195: Ego istaec, si erit hic, nuntiabo.
Most. 519: Quicum istaec loquere?
961: Quis istaec faciebat?
965: Edepol ne me eius patris misere miseret, qui quom istaec sciet
Facta ita, amburet ei misero corculum carbunculus.

Most. 987: Si quidem istaec vera sunt.

1134: Age mitte istaec: te ad me ad cenam dic venturum. ista acto BCD.

388: Taceas: ego, qui istaec sedem, meditabor tibi.

395: Ei mihi, quom istaec blanda dicta quo evenant, madeo metu. — quom BCD, quod non mutandum fuit in „quam“ (cf. Mil. 1358: Hei mihi, quom venit in mentem ut mores mutandi sint.

Men. 303 sq.: Hei mihi, Quom nihil est qui illi homini dimminuam caput.

Ter. Andr. 3. 5. 16 sq.: Ei mihi, Quom non habeo spatium, ut de te sumam supplicium, ut volo.)

Persa 31: Vah, iam scapulae pruriunt,
Quia te istaec audivi loqui.

800: Posterius istaec te magis par agerest.

Poen. 1. 2. 24: Miror equidem, soror, te istaec sic fabulari.

3. 1. 47: Omnia istaec scimus iam nos, si hi spectatores sciunt.

71: Mittite istaec. quid velim vos scitis.

3. 4. 16: Em istaec volo ergo vos commeminisse omnia.

5. 5. 38: Quin adhibuisti, dum istaec loquere, tympanum.

Ps. 361 sq.: Bustirape. — Certo. — Furcifer. — Factum optume. — Sociufraude. — Sunt mea istaec.

430: Nam istaec quae tibi renuntiantur, filium
Te velle amantem argento circumducere,

432: Fors fuat an istaec dicta sint mendacia.

531: Si quidem istaec opera, ut praedicas, perfeceris,

sed propter mirum pluralem Sauppius recte „istac operā“ scribit.

Rud. 2. 7. 20=578: Tu istaec (sc. vestimenta) mihi dato. exarescent faxo.

4. 4. 56=1100: Omnia ego istaec facile patior, dum hic hinc a me sentiat.

istaec ego mss.; neque vero cum Muellero Plaut. Pros. 342 et 432 „ista ego“, sed sine dubio cum Fleckeiseno „ego istaec“ est scribendum, ut Merc. 477 et Trin. 655.

4. 4. 92=1136: Vos tum vobis istaec quicquid inerit isti habebitis. (Fl.)

4. 8. 1=1265: Iterum mi istaec omnia itera, mi anime, mi Trachalio.

5. 2. 35=1322: Quid dare velis, qui istaec tibi investiget indicetque?

Stich. 23: Novi ego illum, ioculo istaec dicit.

Trin. 313: Istaec mihi ego semper habui aetati integumentum meae.

655: Omnia egó istaec quae tu dixti scio, vel exsignavero: istaec A, ista B, istic ceteri.

747: Nam hercle omnia istaec veniunt in mentem mihi.

1098: Credo omnia istaec, si ita sunt, ut praedicas.

Truc. 1. 2. 80: Non istaec, mea benignitas, decuit te fabulari.

3. 2. 14: Heus tu, iam postquam in urbem crebro commeo, Dicax sum factus, iam sum caulator probus. —

16: Quid id est amabo? Istaec ridicularia.

Muellerus et Spengelius: mitte ridicularia.

Prae hac permagna formae „istaec" exemplorum copia perexiguus est numerus eorum locorum quibus „ista" in mss. legitur, sunt hi: Amph. 2. 1. 42=589 — Asin. 3. 2. 32=578 — 5. 2. 10=860 — Capt. 2. 3. 54=414 — 5. 2. 11=964 — Cas. 2. 2. 34; de quibus statim detrahendus est Capt. 414, quia pro „ista" „ita" et versus et sensus postulat et dudum emendatum est: Feci ego ita, ut commemoras.

Ex quinque qui supersunt locis Cas. 2. 2. 34: nam tu quidem advorsus tuam ista rem loquere — nihil est nisi alia lectio versus 30: tu quidem advorsus tuam amicam omnia loqueris — neque verba: „tuam ista rem" quicquam aliud sunt quam: tuamam icã (c et t=τ sexcenties, „ita" et „ista" saepius in mss. commutata sunt) „rem" vel „rẽ" utrum ex ultimae syllabae vocabuli loqueris suprascripto „re" ortum sit — „loquere" fortasse pro „loqueris" v. 30 recipiendum est ex hoc versu — an additum sit, quia apud „istam" substantivum desiderabatur, non decerno.

Porro Asin. 5. 2. 10=860:

Pol ni ista vera essent, numquam faceret ea quae nunc facit.

(sic B; Pall: „ni vera ista“ vel „nisi ista vera“; editores: „ni vera ista“) summa cum verisimilitudine ad alterarum formarum exempla est ascribendus; nam cum in eadem fabula 1. 3. 35: Perdidici istaec esse vera — Amph. 2. 2. 204: vera istaec velim — Amph. 5. 1. 53: si istaec vera sunt — Epid. 3. 4. 73: si istaec vera sunt — Most. 987: Si quidem istaec vera sunt — Plautus dixerit, atque hoc loco „istaec“ restituto versus sanatus sit, meam coniecturam:

Pol ni ista[ec] vera essent, numquam faceret ea quae nunc facit.
omne punctum laturum esse spero et confido.

Iam reliqui sunt tres loci: Capt. 5. 2. 11: Tandem ista aufer, dic quid fers, ut feras hinc quod petis.

Asin. 3. 2. 32: Iam omitte ista atque hoc quod rogo responde. — Rogita quid vis.

Amph. 2. 1. 42: Quoius ego hodie in tergum faxo ista expetant mendacia.

Horum similibus locis „istaec“ posuit poeta cf. ad duos priores versus: Mil. 31: Nolo istaec hic nunc — Most. 1134: mitte istaec — Amph. 5. 1. 49: mitte istaec — Curc. 3. 2. 14: Aufer istaec — Poen. 1. 2. 71: Mittite istaec; quare priore loco, quo mutatio necessaria est, coniecturae plerisque probatae dic[e][1]) praefero: Tandem ista[ec] aufer, dic quid fers e. q. s. Etiam Asin. 3. 2. 32: „ista[ec]“ scribere possumus, dummodo „ătque hŏc quŏd“ legamus; quod si nolumus, pro „ista atque“ „istaec“ conicere possumus. Tertio versui: Quoius ego hodie in tergum faxo ista expetant mendacia — omnium maxime cognatus est Amph. 4. 2. 10: Quem pol ego hodie ob istaec dicta faciam ferventem flagris. Fortasse Plautus scripsit: Q. e. h. i. t. istaec faxo expetant mendacia. Verum utut hi duo loci mutandi sunt, mutandos esse mihi constare videtur, et nimia verecundia ei tenentur, qui, quamvis codices Plautini scateant mendis, tamen his locis contra codices quicquam moliri non audent. Nam cum hi loci nullo modo diversi sint ab ceteris,

---

[1]) „dice“ contra morem Plautinum peccare Becker l. c. p. 129 ostendit, ipse „[id] dic“ proponit aliis locis comparatis, sed „id“ addere necessarium vix putaverim.

porro cum credibile non sit Plautum utraque forma usum esse, „istaec“ vero septuagies fere, „ista“ non saepius quam bis vel ter posuisse, sequitur hos paucissimos locos corruptos esse, et Plautum semper „istaec“, numquam „ista“ scripsisse, ut eundem semper „istuc“ numquam „istud“ scripsisse infra demonstrabo.

Fortasse vero ne apud Terentium quidem ferenda est forma „ista“; legitur enim in mss. „istaec“:

Andr. 1. 1. 1: Vos istaec intro auferte, abite.
2. 6. 25: Ego istaec recte ut fiant, videro.
5. 4. 18: Ego istaec moveo aut curo? non tu tuom malum aequo animo feres?
Eun. 1. 2. 9: Sane quia vero hae mihi patent semper fores,
Aut quia sum apud te primus. — Missa istaec face.
2. 3. 22: Haud similis virgost virginum nostrarum, quas matres student
Demissis umeris esse, vincto pectore e. q. s. —
26: Pa: Quid tua istaec?
5. 1. 12: Infelix, siquidem tu istaec vera praedicas.
Heaut. 4. 5. 35: Ita tu istaec tua misceto, ne me admisceas.
5. 4. 15: Di istaec prohibeant.
Pho. 1. 3. 18: Beatus, ni unum desit, animus, qui modeste istaec ferat.
1. 4. 24: Ergo istaec cum ita sint, Antipho,
3. 2. 32: Verba istaec sunt.
4. 3. 34: Quis te istaec iussit loqui?
Hec. 5. 2. 18: Quid mihi istaec narras?
Ad. 2. 4. 11: deos quaeso ut istaec prohibeant.
3. 4. 32: Pro certon tu istaec dicis?
4. 3. 18: Atque istaec eadem, quae mihi dixti, tute dicas mulieri.
5. 3. 51 sq.: Tace. Non fiet. Mitte iam istaec: da te hodie mihi.

Quos ob septemdecim locos animus meus eo inclinat, ut etiam reliquis duobus locis:

Ad. 2. 1. 31: Egon debacchatus sum autem an tu in me? — Mitte ista atque ad rem redi.

(quocum velim conferas Ad. 5. 3. 52: Mitte iam istaec. — et Eun. 1. 2. 10: Missa istaec face.)
et Ad. 4. 5. 42: Ridiculum: advorsumne illum causam dicerem,
Cui veneram advocatus? Sed quid ista, Aeschine,
Nostra? aut quid nobis cum illis?
(quocum cf. Eun. 2. 3. 26: Quid tua istaec?) Terentium „istaec" scripsisse opiner, praesertim cum ne coniectura quidem „istaec" restituere opus sit, sed Donatus et codices hanc ipsam formam testentur: Ad. 4. 5. 43 enim in A est: istic, in ceteris: ista, apud Donatum: istaec; ergo manifestum est „istaec" in archetypo fuisse, quae forma in altera codicum familia in „ista", in altera in „istic" pessumdata est, quod ita esse per se tam luculenter apparet, ut vix opus sit similium depravationum exemplis, quae conquirere non est difficile (velut Trin. 655: istaec A, ista B, istic ceteri) illustrari et confirmari. Iam igitur lectionem codicum quae Calliopii recensionem sequuntur „ista" omni fide et auctoritate carere perspeximus; immo exeundum est in restituendo versu ab lectione „istaec". Ita cum res sese habeat, iam de „ista" non licet cogitare, sed alia medicina versui est adhibenda, atque equidem propono:
Cui *eram* advocatus? — Sed quid istaec, Aeschine, Nostra?[1])
— Deinde Ad. 2. 1. 31: „ista" legitur quidem in omnibus mss., nisi quod in A recentior manus „istaec" scripsit, sed Donatus testatur formam „istaec"; quare scripsit fortasse Terentius: Mitte *istaec*, ad rem redi[2]).

Sicut autem in plurali numero sola forma „istaec", sic in singulari numero sola forma „*istuc*" Plautus Terentiusque usi sunt. Atque apud Terentium quidem iam nunc in editionibus Fleckeiseni et Wagneri ne uno quidem loco „istud" vel „istut" invenimus, quamquam illi numquam contra codices „istuc" scripserunt; „istud" quidem

[1]) Sauppius mecum communicavit se quoque „ista" reiecisse in praelectionibus, tamen paullo aliter mutasse, „sed" enim se delevisse.
[2]) „Atque" superfluum esse demonstrat locus qui est Heaut. 2. 3. 78: mitte, ad rem redi. cf. Ad. 5. 3. 52.

interdum in uno vel nonnullis codicibus invenitur, neque vero umquam optimorum et antiquissimorum librorum auctoritate firmatur, nisi quod uno loco Pho. 3. 2. 39; quia fortuito corruptela „istut" pro „istuc" etiam semel in A inrepsit, Umpf. et Dziatzko „istut" scripserunt contra ceteros omnes codices. Sed cum ne Bembinus quidem vacuus sit talibus vitiis (velut ut e larga multitudine pauca afferam certissima: „istam" pro „istanc" (Pho. 4. 3. 13 — Ad. 4. 7. 37) „istum" pro „istunc" (Eun. 2. 3. 67) „hae" pro „haec"), neque hoc loco singularem usum acc. neutr. gen. pronominis „iste" habeamus, singularis forma hoc loco ferenda non est.

Etiam in novem Plautinis fabulis a R. editis uno tantum loco „istut" legimus, quia ceteris omnibus locis, quamquam saepius „istud" in hoc vel illo codice legitur, tamen „istuc" semper ea est forma, quae secundum codices est recipienda. Est autem hic unicus locus Most. 974: Ain minis triginta amicam destinasse Philolachem? — Aio. — Atque eam manu emisisse? — Aio. — Et postquam eius hinc pater
Sit profectus peregre, tum perpotasse adsiduo simul
Tuo cum domino? — Aio. — Quid? is hasce aedis emit proxumas? —
Non aio. — Quadraginta etiam dedit huic, quae essent pignori? —
Neque *istud* aio. — istud C D F Z, illud B. Pronomen „iste" rectum esse demonstrat locus qui paullo post legitur
Most. 1005: Ad cenam ne me te vocare censeas. —
Haud postulo edepol. — Verum cras, nisi quis prius
Vocaverit me, vel aput te cenavero. —
Ne *istuc* quidem edepol postulo. —, sed: iste Ba C D, istuc Bb F Z; et „*istuc*" scribendum esse ostendit e. c.
Aul. 4. 10. 42: Dic bona fide, tu id aurum non subrupuisti? — Bona. — Neque scis quis id abstulerit. — *Istuc* quoque bona.

Itaque hoc quoque loco ut ceteris centum quinquaginta fere locis „istuc" scripsisse Plautum non opus est pluribus exponere. In Truculento nullum exstat formae „istud" exemplum; in ceteris fabulis, in quibus accurata codicum collatione etiamnunc caremus, apud Pareum „istud" legitur his locis: Asin. 1. 1. 12=27 — 1. 1. 19

=35 — 2. 2. 42=308 — 3. 3. 54=644 — 4. 2. 18=827 — Aul. 3. 2. 4 — 3. 5. 16 — Capt. 4. 2. 118=858 — Cas. 2. 5. 39 — 2. 6. 24 et quattuor locis scenae primae actus primi Cistellariae v. 21—29—77—108, quorum multis iam editores „istuc" scripserunt. Nihil nunc moror, sintne hi loci omnes codicum auctoritate satis firmati, cum, etiamsi essent, tamen nihil demonstrarent. Nam minime singularis horum locorum est condicio, sed omnibus neutr. pron. „iste" eodem modo usurpatur atque ceteris sexcentis locis, quibus „istuc" in codicibus inest = id quod tu dixisti. Tamen ne cuiquam de hac re ulla remanere possit dubitatio ad unumquemque horum locorum aliquot locos quam simillimos ascribam.

1. Asin. 2. 2. 42=308: Quid *istuc* est negoti?

cf. Merc. 825: Quid istuc negotist? — Mil. 1346: Quid istuc est negoti? — alios multos locos vide apud Beckerum, qui de hac et similibus formulis egit in studiis in priscos scriptores Latinos collatis a W. Studemundio editis p. 179 adn.

2. Asin. 4. 2. 18=827: Ego *istuc* curabo.

cf. Amph. 3. 2. 68=949: Ego istuc curabo. — Mil. 1238: Istuc curavi, ut opinione illius pulcrior sis. — Most. 283: Non me istuc curare oportet. — Persa 165: Abi et istuc cura.

3. Aul. 3. 5. 4: Nam meo quidem animo, si idem faciant ceteri
Opulentiores, pauperiorum filias
Ut indotatas ducant uxores domum,
Et multo fiat civitas concordior e. q. s.

15: Namque hoc qui dicat: quo illae nubent divites
Dotatae, si *istuc* ius pauperibus ponitur?
Quo lubeant nubant, dum dos ne fiat comes.

cf. Aul. 4. 10. 14: Quid tibi ergo meam me invito tactiost? —
Quia vini vitio atque amoris feci. — Homo audacissume,
Cum istacine te oratione huc ad me adire ausum, impudens.
Nam si *istuc ius sit*, ut tu istuc excusare possies,
Luci claro derupiamus aurum matronis palam:
Postid, si deprensi simus, excusemus ebrios
Nos fecisse, amoris causa.

Merc. 984 sqq.: Itidem ut tempus anni, aetatem aliam aliud factum condecet.
Nam *si istuc ius sit,* senecta aetate scortari patres,
Ubi loci siet res summa publica?
Rud. 4.3.39=978: Nam *si istuc ius sit* quod memoras, piscatores perierint.
4. Cas. 2.5.38: Benedice! Dis sum fretus; deos sperabimus. — Non ego *istuc* verbum emsim titivillitio.
cf. Merc. 206: Perii. — Hem, istuc unum verbum dixisti verissumum.
Merc. 493: Invenietur, exquiretur, aliqui fiet. — Enicas.
Iam istuc „aliqui fiet" metuo.
Rud. 5.2.33=1320: Papae: divitias tu quidem habuisti luculentas. — Miserum istuc verbum et pessumumst „habuisse et nihil habere."
5. Asin. 3.3.54=644: Proinde *istuc* facias ipse, quod faciamus nobis suades.
cf. Rud. 792=3.5.13: Facito istuc quod minitaris.
Asin. 612=3.3.22: Nam quid me facturam putas, si istuc quod dicis faxis?
Mil. 1368: Vix reprimor quin te manere iubeam. — Cave istuc feceris.
Trin. 675: Si istuc quod conare facis.
6. Capt. 4.2.118=898: Sponden tu *istuc*? — Spondeo.
cf. Bacch. 1202 sq.: Satin ego istuc habeo offirmatum? — Quod dixi semel, hau mutabo.
Ps. 1095: Bonan fide istuc dicis?
7. Aul. 3.2.3: Quid comminatu's
Mihi? — *Istuc* male factum arbitror, quia non latus fodi.
cf. Mil. 1207: Item illinc ego te liberabo. —
1210: Etsi istuc mihi acerbumst, quia ero te carendumst optumo,
Mil. 1320: Si non mecum aetatem egisset, hodie stulta viveret. — Istuc crucior, a viro me tali abalienarier.
8. Asin. 1.1.12=27: Proinde actutum *istuc* quid sit quod scire expetis

Eloquere: ut ipse scibo, te faciam ut scias.

cf. Asin. 2. 2. 65=331: Istuc quod adfers aures exspectant meae.

Rud. 2. 3. 23=353: Sed istuc periclum perlubet quod fuerit vobis scire.

9. Asin. 1. 1. 21=33: Apud fustitudinas ferricrepinas insulas,
Ubi vivos homines mortui incursant boves. —

35: Quid *istuc* aut ubi sit istuc nequeo noscere; iam „istuc" quod in hoc ipso versu inest docet „istud" falsum esse, praeterea affero eiusdem scenae v. 16 sq.=31 sq.:

Num me illuc ducis, ubi lapis lapidem terit? —

Quid istuc est aut ubi terrarum istuc est loci? — et v. 23=37:

Modo pol percepi, Libane, quid istuc sit loci.

10. Cas. 2. 6. 23: Tum igitur ego sortis utrimque insignes faciam. — Ecquis votat? —
Optumum atque aequissumum *illud* esse iure iudico.
Postremo, si illuc quod volumus eveniet, gaudebimus;
Sin secus, patiemur animis aequis.

„illud" ego scribo pro „istut", quod explicari non posse iam Geppertus vidit, quare hunc versum 24 Cleostratae dedit; sed etiamsi „istud" bonum sensum accepit hoc modo, tamen vix recte personas mutavit; neqne enim, ut est Cleostrata affecta in virum, convenit eius irae viri consilium laudare optimum atque aequissimum id dicendo: verum non prohibet illa quidem id quod Stalino facturus est (Ecquis votat?), sed multo minus collaudat. Stalino vero bene haec dicere potest; namque, postquam exposuit consilium, addit, se id optimum et aequissumum arbitrari e. q. s.; Stalinoni autem si versum relinquimus, „istud", quod quo referatur nihil est, in „*illud*" mutato opus est; pronomina autem „ille" et „iste" et in Plauti et in aliorum scriptorum codicibus saepe inter se mutata sunt, saepissime in dialogo de oratoribus.

11. In Cistellariae scena I. 1 quater „istud" invenitur, semel „istuc" v. 80, et quidem in sententia communi:

Matronae magis conducibilest istuc, mea Silenium,
Unum amare et cum eo aetatem exigere, quoi nuptast semel.

Iam vero Cistellariam omnium fabularum Plautinarum longe pes-

sume pessumdatam ad nos pervenisse, admodum mutilatam, additamentorum plenam, denique omnibus vitiis refertam, manifestum est; atque primas tres scenas, quales nos eas habemus, Plautum composuisse prorsus esse incredibile etiam qui obiter eas perlegerit facile intelleget, quare non Plautinus formae „istud" usus per totam scenam — illa enim sententia communis facile aliunde desumi potuit — fortasse inde explicandus est, quod Plautus non est auctor huius scenae.

At dixerit quispiam: Cur tandem formam „istud" exstirpare vis, qui idem „iste" et „istic", „ista" et „istaec" (fem.) admittas? Tamen analogiae in his rebus nihil probant, quia saepissime summam linguae inconstantiam deprehendimus, e. c. habemus „his" et „hisce", „horum" et „horunc", non „ha" et „haec", sed solum „haec"; verum solus usus respiciendus est. Iam vero cum apud Plautum nom. et acc. neutr. sing. saepius quam trecenties quinquagies inveniatur, sed in eis fabulis, in quibus accuratissimas optimorum codicum habemus collationes, uno tantum loco „istud" legatur, in reliquis apud Pareum tredecim locis, praesertim cum in talibus rebus nimis religiose codicum scripturis non sit insistendum, paucissimis locis „istud" Plautum dixisse nullo modo credibile videri potest, nisi forte his locis diversus a ceteris usus conspiciatur; verum cum locis qui horum tam similes sunt, ut „aqua aquae similior esse non possit", „istuc" inveniamus, nemo, credo, erit, quin illis paucissimis locis fidem detrahat.

Postremo particulae interrogativae „ne" pronominibus „iste" et „ille" adnexae exempla compono: istucine: Truc. 2. 7. 45 — (Merc. 620) — istocine pacto: Ps. 83 — istacine causa: Ps. 847 — cum istacine te oratione: Aul. 4. 10. 16 — isticine (adv.): Rud. 1. 2. 22=110 — *istoscine:* Asin. 5. 2. 82=932; et apud Terentium: istucine: Eun. 5. 1. 14 — istocine pacto: Ad. 4. 7. 14.
illicine (nom.): Ps. 954; sed illamne: Merc. 203, et apud Terentium illicine: Heaut. 1. 2. 25 (illene mss.); sed: illumne: Eun. 2. 3. 65 — 5. 8. 15; notabilis est forma „illancine" Heaut. 4. 5. 3.

Ex quibus locis quamquam certam normam et regulam, quia nimis sunt pauci, derivare nolo, tamen unum hoc definio, quod „istucine, istocine, istacine“, verum „illumne, illamne“ invenimus, non soli casui tribuendum esse, quia etiam non affixo „ce“, ut formae: „istuc, istoc, istac“, sic „illum, illam“ Plauto Terentioque alteris formis multo magis sunt familiares.

Index locorum,

quibus aut codicum lectiones aut hominum doctorum coniecturas firmavi aut proprias coniecturas protuli.
(Loci a me emendati asterisco* notati sunt.)

Plaut.
Amph.
*arg. II. 3 . . . . . 31 sq.
*5 30
prol. 96 . . . . . 54 sqq.
*143 . . . . . 36 sq.
146 50
*1. 1. 108 = 264 . . . 10 sq.
*110 = 266 . . . 55 sq.
1. 2. 24 = 486 . . . 55 sq.
*36 = 498 . . . 31
*2. 1. 42 = 589 . . . 78, 79
*2. 2. 224 = 854 . . . 38
3. 1. 14 = 874 . . . 50 sq.
3. 3. 19 = 974 . . . 27
*5. 1. 49 = 1101 . . . 75
Asin.
1. 1. 12 = 27 . . . 82, 84
19 = 35 . . . 82, 85
2. 2. 42 = 308 . . . 83
*3. 2. 32 = 578 . . . 78, 79
*3. 3. 54 = 644 . . . 83, 84
*64 = 654 . . . 36
4. 2. 18 = 827 . . . 83
*5. 2. 10 = 860 . . . 78 sq.
Aul.
*2. 6. 2 38
2. 8. 15 . . . . . 22. 24 sq.
*3. 1. 9 38
*3. 2. 4 . . . . . 83, 84
*3. 5. 16 83
*4. 9. 9 49
Bacch.
*142 . . . . . 67 sq.
787 . . . . . 9, 24 sq., 61
*801 . . . . . 44—47
*808 . . . . . 44—47
*809 . . . . . 44—47
*1121 33
*1123 42
*1125 . . . . . 44, 44—47
*1127 . . . . . 35 sq.
1140 42
Capt.
*prol. 34 23
*1. 2. 3 = 112 . . . 32
2. 2. 99 = 349 . . . 55
*2. 3. 95 = 455 . . 12, 19, 38
*4. 2. 118 = 898 . . . 83, 84
*5. 2. 11 = 964 . . . 78, 79
Cas.
*2. 2. 30 et 34 78
2. 5. 25 72
39 . . . . . 83, 84
*2. 6. 24 85
4. 3. 7 sq. 72
Cist.
1. 1. 21. 29. 77. 108 . 83, 85 sq.
Curc.
*1. 1. 39 . . . . . 44—47
80 23
2. 1. 30 = 245 76
*2. 3. 90 = 369 60
3. 28 = 398 . . . . 72, 73

Curc. 4. 2. 22 = 509 . . 20 sq.
*4. 3. 13 sq. = 545 sq. . 60
Epid.
2. 2. 32 44
40 . . . . . 73, 76
*54 50
Men.
*958 . . . . . 12, 26
*997 . . . . . 68 sq.
1071 . . . . . 55 sq.
Merc.
514 . . . . . 55 sq.
*684 30
957 . . . . . 55 sq.
Mil.
* 33 36
*290 30
310 10
*332 32
*421 . . . . . 28 sq., 70
1023 33
1134 26
Most.
336 30
395 77
*455 . . . . . 18, 36
480 11
*504 . . . . . 44—47
761 11
*796 24
806 11
*811 . . . . . 18, 36
843 . . . . . 6, 34
*859 21
*863 21
*899 32
*899—903 32
977 36
*979 82
988 . . . . . 6, 34
1098 . . . . . 68, 69
Persa
195 61
*497 . . . . . 44—47
*499 73
*504 33
*844 69
*855 sq . . . . . 25 sq.
Poen.
prol. 78 28
83 . . . . . 55 sq.
95 70
prol. *115 . . . . . 49 sq.
120 . . . . . 55 sq.
*1. 2. 117 . . . . . 44—47
*172 62
*175—178 . . . 56, 62—65
*181 65
3. 2. 7 71
*32 . . . . . 44—47
5. 2. 1 36
8 . . . . . 12, 19, 49
*5. 3. 28 38
52 42
5. 4. 76 . . . . . 55 sq.
*78 . . . . . 45—47
*87 . . . . . 54, 56 sq.
5. 6. 7 35
Pseud.
* 23 . . . . . 45—47
205 69
531 77
*594 . . . . . 45—47
Rud.
*1. 4. 8 = 227 . . . 45—47
2. 5. 27 = 485 . . . 21
2. 7. 5 = 563 . . . 73
*3. 3. 40 = 702 . . . 24
3. 4. 22 = 727 . . . 43
*41 = 746 . . . 43
*67 = 772 . . . 36
*3. 5. 17 = 796 . . . 24
*4. 2. 1 = 906 . . . 36
4. 4. 46 = 1090 . . . 55 sq.
56 = 1100 . . . 77
Stich.
131 . . . . . 66, 73
*312 . . . . . 45—47
*329 51
*450 48
Trin. 3 74
*124 . . . . . 18, 36
177 et 293 . . . . . 6, 29
848 . . . . . 11, 17
1080 74
*1124 . . . . . 45—47
*1127 . . . . . 18. 32
Truc.
2. 3. 20 et 40 44
*2. 8. 8 22
Ter. Adelph.
*2. 1. 31 . . . . . 80 sq.
*4. 5. 43 81
Pho. 3. 2. 39 82

REESE LIBRARY OF THE UNIVERSITY

YB 00609

U. C. BERKELEY LIBRARIES

C045949125

96853